Ex Libris Fris Jacobi Katecykiewicz.
Varsaviae oblatus. P Ctro Filiali.

De VITA & GESTIS
Venerabilis Servi DEI
P. JOSEPHI
à Matre DEI,
Olim
JOSEPHI CALA-
SANTIJ,
Nobilis Aragonensis,
Clericorum Regulariũ Matris DEI
Scholarum Piarum Fundatoris,
COMMENTARIOLUS.

Auctore Dominico Francisco Maria Maggio
Clerico Regulari Panormitano;

Neapoli 1680. impressus.
Varsaviæ 1730. reimpressus.

Typis S. R. M. & Reipublicæ,
Scholarum Piarum.

Reimprimatur.

IOANNES TARŁO,

Episcopus Posnanieñsis.

mpp.

Sanctissimæ DEI Matri MARIÆ, Congregationis Scholarum Piarũ Patronæ, Author cum suo hoc libello, humillimè se D. & D.

O Beatissima Deipara MARIA Virgo, quæ ut toti ferme terrarũ orbi, ad Christianæ Reipublicæ incrementum, hæc Sacra Scholarum Piarum Congregatio exoriretur, JOSEPHUM CALASANTIUM, Virum planè admirabilem impetrasti; & Ipsa pluries impulisti, ut adversantibus undiq; inferni hostibus, novum hunc Ordinẽ in Dei Ecclesia, pernecessarium instituerer, à quo tot Puerorum Myriades, & literis, & Christianis institutis, imbuerentur; publico omnium Fideliũ Nomine, Tibi refero gratias, quod feliciter hodie hic Ordo floreat, & omnium virtutum exemplis, quaquaversus Orbem Christianum illustret, & quod novo etiam beneficio JOSEPHI eximiam sanctitatem, è Christianæ humilitatis medio in lucẽ feras; ecce tibi hunc meum libellum

 offe-

ro, & in libello me ipſum, utrumq; tuo ſub patrocinio tuearis. O utinā mihi contingat, ex hac vita, Te Auſpice, atq; Præſente, cum JOSEPHI ſecuritate, lætitiâq; migrare, & in tuis ô Virgo Beata, Sanctiſſimis manibus, ac in Filij tui dulciſſimi Vulneribus animam exhalare, hoc unicum enixè peto, & nihil aliud curo, nihil exopto.

Facultas imprimendi Operis.

D. Placidus Vice-Comes, Clericorū Regularium Præpoſitus Generalis.

HOc opus, inſcriptum de Vita & Geſtis, *Venerabilis P. JOSEPHI à Matre Dei*, compoſitum à P. D. Franciſco Maria Maggio, juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, ut Typis mandetur, quo, ad nos ſpectat, facultatem facimus. In quorum fidem præſentes literas, manu propria ſubſcriptas, & ſolito noſtro ſigillo ſignatas, & firmatas dedimus Romæ 20. Auguſti 1677.

D. Placidus Vice-Comes Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

JUssu A.R.P. Præpositi Generalis, vidimus hanc opellam, à P. D. Francisco Maria Maggio, nitidissimè compositam, & inscriptam de Vita & Gestis *Venerabilis P. JOSEPHI à Matre Dei*, cùm plurimùm referat tanti Servi Dei miris operibus ac meritis, pios fideles, ad virtutem & perfectionem incendi, & nihil contineat, quod non laude & commendatione sit dignum, typis dandam esse censemus.

D. Joannes Damianus Visit. Cler. Reg. Sacr. Theol. Prof.

D. Joseph Morales Cler. Regul. Sacr. Theol. Prof.

IN Congregatione habita, coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archi-Episcopo Neapolitano sub die 9. Octobris 1677. fuit dictum; quod R. P. Joseph Mendosa Congregationis Piorum operariorum, revideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Franciscus Scanegata Vicarius Generalis.

Joseph Imperiali S. J. Theologus Eminentissimi.

Eminentiſſime Princeps.

JUſſu Eminentiæ Tuæ, perlegi Commentariolum de Vita *Venerabilis Viri JOSEPHI CALASANTII* Aragonenſis, Mariani Ordinis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum Inſtitutoris, Auctore P. D. Franciſco Maria Maggio, nihilq; in eo offendi fidei ac bonis moribus adverſum, imo exemplaria multa, quare dignum puto ut quam, primis typis mãdetur. Neapoli 20. Octob. 1679.

addictiſſimus ſervus

D. Joſeph Mendoſa, Congregationis Piorum operariorum Theologus ac Sacri Officij Conſultor.

IN Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub die 20. Novembris fuit dictum: quod ſtante reſolutione retroſcripti Reviſoris imprimatur.

Stephanus Menattas Vicarius Generalis

Joſephus Imperiali Soc. J. Theologus Eminẽtiſſimi.

Protestatio.

DEcreto Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papæ Octavi, 1625. edito, & 1634. confirmato, insistendo, profiteor me non alio sensu quidquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo eâ solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sacræ Sedis Apostolicæ nituntur.

Ad Effigiem Servi DEI.
Hexastichon.

Non tibi sola caput doctrinæ laurea cinxit,
Exornant animum plurima serta Tuum.
Lilia Te decorant, oleæ palmæq;, triũphos
Nãq; agis à puero, & dæmonis ultor ovas
Hæc tibi dona dedit Pia Mater, ut *Ordinis* ej⁹
Proficui cunctis, Auctor in orbe fores.

Reverendissimo in Christo Patri,

P. CAROLO à JESU

PRÆPOSITO Generali;

Ac reliquis omnibus, Clericis Regularibus, Matris Dei Scholarum Piarum, studiosissimè Author, suum libellum offert, & quàm maximum Ordinis incrementum exoptat.

REVERENDISSIME ac SAPIENTISSIME PATER.

TIbi, qui eruditione ac doctrinâ & virtutum fulgore plurimùm præstas, & prudenter sapienterq́; universum Ordinem moderaris, insignes animi Tui dotes, non sine hominum laude & admiratione ostendis, exiguum hoc munusculum trado; eodemq́; omnes Superiores Vestri Ordinis, humillimè veneror ac impertio, oroq́; ne mihi

mihi quispiam Vestrum temeritatis notam inferat, quod rudi quidem stylo, Vestri inclyti Institutoris, & hujus sæculi Herois, paucioribus quam par esset, amplissimam Vitæ seriem explicaverim, Vestram siquidem modestiam, disciplinam, & Sanctitatem, adeò revereor & admiror, ut dignos omni honoris significatione Vos ducam, & prædicem; quippe qui insigne illud Institutum excolitis, Christiana in Republica adeò necessarium, ut quælibet orbis pars & Provincia, quæ iugo Christi colla submisit, parum sibi meo judicio consulat, ac prospiciat, si Vestrum Ordinem nõ invitet, peramanterq; suscipiat, & omni ope statim exhibita, non honorificè complectatur. Cum juvenes à Vobis præsertim eâ ætate qua omne vitiorum genus imbiberent, Dei timore, Christianâ doctrinâ, pijs moribus, ac Sanctissimis deinde legibus imbuantur, doceanturq; instituere vitam, DEVM colere, & Patronam sibi Deiparam adoptare. Quocirca Admodũ Reverendum Patrem Cosmam à JESV MARIA, olim Generalem, nunc Provincialem Præpositum, Virum Ornatissi-

ſimum teſtem apello; Veſtri Ordinis dilatationem, quam ſtudioſè pro mea exiguitate, nec tamen in caſum, aliquando in Sicilia, procuraverim, hodieq; ſi mihi opportunitatem dari contingeret, Veſtræ Familiæ incremento, cunctis animi nervis, ad Dei Optimi Maximi gloriam inſervire non prætermitterẽ. Nam & Veſtram in excollenda pueritia ſedulitatem, & admirabilem diſciplinam, afflictionemq; illam corporis, eximiè arbitror, in Dei Eccleſia commendandam; qua & paupertate, & ſimplicitate Veſtium, & lecti aſperitate, inter tot Clericorum Regularium Ordines, ſic inſigniter emicatis, ut Reipublicæ Chriſtianæ haud parum interſit, Veſtrum exemplum, omnium quidem hominum, ac præſertim juvenum oculis, obverſari.

Sed Veſtram demiſſionem animi, quã JOSEPHVS Vobis, in morte legavit, & qua veluti divite patrimonio, magnopere excellitis, abunde DEVS meo judicio compenſabit, cùm (ut brevi ſpero fore) cõtinget, Veſtri Ordinis Conditoris, Virtutes, illuſtria facinora pervulgari, qui eâ generis Nobilitate, Virginitate, innocen-

tia,

tia, Scientiarum eruditione, atq; præstantia cœlestium donorum inclaruit, ut inter sæculi hujus Heroes, & Sacrarum Religionum Institutores, non sine orbis applausu, & omnium admiratione, eximio in loco sit recensendus. Quamobrem cum Vestrũ de eo silentium, planè ferre non possem, hũc brevissimum commentariolum scripsi, edẽdum (si Vobis placet) in lucem, ut Vestros animos & calamos, ad eandem sparthan nobilius agitandam impellerem. Nec verò in Amplissimo Ordine Vestro desunt, qui styli peritia & omni scientiarum genere instructi, Vestram illustrare Marianam Cõgregationem, ipsámq; Rempublicam literariam queant; ut Nostros verò Scriptores, ad S. Cajetani gesta, sedulò perquirenda, & vitam describendã, incendit Benedictini Ordinis Candidatus, qui cũ silerent Nostri, S. Patris effigiem & laudem impressit; ita spero fore, ut quam plurimi Scriptores, è Vestro quidem Ordine innumeri, libello hoc meo ad idem opus exactius præstandum, magnis stimulis excitentur. Quod Tu præsertim Reverendissime Pater, qui ingenio & eloquentia vales, & sapientia præstas, præ omnibus facili negotio obire posses, nisi regendæ Familiæ, & illustrandi Ordinis Curæ, Te ab hoc facinore revocarent.

Inte-

Interim Vos Patres omnes animum meum, & qualecunq; studium ac laborem, æqui boniq; facite, & me senio ac peccatis onustum, & quam citissimè decessurum, inter Vestri Ordinis famulos, ac alumnos humiliores adscribite, Vestrisq; apud DEUM & Dei Matrem (cui acceptissimi estis) Orationibus assiduè commendate.

Hoc sibi à Vobis precatur & pollicetur Vester infimus servus.

Dominicus Franciscus Maria Maggius Clericus Regularis Theatinus.

De Vita & gestis *Venerabilis Servi DEI, Patris JOSEPHI à Matre DEI, MARIANI Ordinis, Clericorum Regularium, Matris DEI Scholarum Piarum Institutoris* COMMENTARIOLUS.

Patria JOSEPHI.

IN Provincia Aragonensi peranti-quo in oppido, quod vulgi sermone Peralta de la sal nominatur, Nobilis Familia Calasantia floruit, apud Catalaunos hodie

dives opum, & gloria militiæ illustris. Prodiit quidam Bertrandus ex ea, qui Jacobo 1mo AragoniæRegi, cũ prædives esset, & belli pacisq; artibus instructus, domi forisq; insigni fidelitate servivit; eidemq; ad bellum contra Catalaunos proficiscenti, cum 70 ballistariis, quos suo aluit sumptu, constãtem adeò famulatum, & in pugnando strenuum exhibuit ardorem, ut Rex Nobilem ejus Familiam exornaverit amplissimis privilegiis, illisq; indulsit, ut exprimerent in stemmate gentilitio canem, nummariam ore thecam ferentem, quod Calasantiis hodie insigne est, ut narrat Bernardinus Gonesius lib: de vit: & rebus gestis. Jac: 1. Reg: Arag: 4. fol: 80. Bertrandi Nepos D. Petrus Calasantius qui in matrimoniũ ductâ D. MariaCastoniâ, æquè clari generis fæminâ, quatuor suscepit ex eaFilias, Filios tres, quorũ

Parentes JOSEPHI.

na-

natu minimus (de quo scribimus in præsenti) JOSEPHUS est appellatus, qui longè illustrior, quàm cæteri Fratres & Sorores evasit. Is: 11. die, Mensis Decembris inter Conceptæ Virginis Deiparæ Octavas, Anno post Christū Natum 1556. Paulo 4. RomanoSanctissimoq; Pontifice, in lucem editus, omnium virtutum, in prima planè ætate specimen dedit; tantoq; puerulus amore exarsit in Deum, ut capitalem ejus hostem, & omnis criminis inventorē audiens fuisse diabolum, quem ferrô occidi posse putabat, ad singulare certamen mirificè provocavit, omni eum conatu virium adoriri, suâq; manu conficere, & ubi posset interimere, flagrantissimè gestiens.

Ejus Nativitas.

Itaq; passim pueros & sodales ad amandū percolendumq; Divinum Numen, & odiô habendum insectandumq; malum dæmonem vehementer adhor-

tabatur ; cultroq; haud ſemel arrepto in campum egreſſus, diabolum perquirebat; aderatq; illi comes JOSEPHUS Moſchies, qui Abbas deinde Perpinianenſis, id Romæ aliis, non ſine admiratione referre ſolitus fuit, Annoq; 1649. vitâ deceſſit. Is narrat, qui ejus acta perſcripſit, quod cum tandem cacodæmonem in agro conſpexit, procera in arbore conſidentem, in eum puer, animo plenus, eo impetu ferri cæpit, ut arborẽ illam conſcenderit. Sed qui timidos & ignavos exterret, illorumq; animi præſentiam horret, qui Deum timent, ſe ſe malus dæmon illico occuluit, effractoq; prægrandi arboris ramo, JOSEPHUM vehementi adeo impulſione dejecit, ac terræ alliſit, ut magnum B. V. beneficium fuerit, cui ſe ſe ille ſtudioſiſſimè dicaverat, quod tenella ejus membra minimè læderentur.

Diabolũ perimere conatur.

Gran-

Grandiusculus natu, literis animum applicuit, sed ita perstudiosus orandi Numinis erat, ut antequam ludi Magistri lectionem audiret vel eidem repeteret, humi genua figeret, à Deo opem exoraturus. Quod cũ sodales intuerentur pro more JOSEPHUM ut irriderent, sanctillum, fausto quodam omine appellitabant; ijsq́; verè ille ea in ætate moribus fuit, ut inter omnes maximopere ejus virtus & pietas emicaret. Nec unum aliquod verbum inhonestum audire poterat, quin illico pudore suffusus, os sibi utraq́; manu contegeret, non sine admiratione circumstantium, judicantium, quàm Dei timore, pudicitiæq́; studio teneretur. *Studia incipit.* *Ad inhonesta Verba os obtegit.*

Post Grammaticæ rudimenta Pöeticen & Rhetoricam didicit, & cum Parentum minis adigi minimè potuisset, ut profano spiritu ductus, ad majorum suorum gloriam promovendã aut *Grãmaticen & Rhetoricen tractat.*

instaurandam, annorum studio eniteretur, clã sua Domo discessit, ut gravioribus disciplinis & institutioni præsertim vitæ spiritualis, totus incumberet.

Philosophiã & Theologiã. In celeberrimis itaq; Academiis Philosophiæ primùm Ilerdæ, mox Perpiniani utriq; juri, ac demum Compluti Sacræ Theologiæ operam egregiã dedit; nec tamen ob curam literarum, virtutum unquam, præsertim Orationis, tuendæq; virginitatis propositum, aut Sacramentorum frequentiam intermisit; vel in Dei Deiparæq; amore intepuit; tantaq; eruditione, integritatis opinione, & Authoritate inter sodales efflorescebat, ut omnium Princeps, consensu plausuq; omnium delectus fuerit. Quod ipse munus non sine magno honore collatũ tam mirifice præstitit, ut Matthæus Garsias, qui ejus condiscipulus fuit, in hæc verba jure juraverit: *Calasantium omnium Prin-*

Principem renuntiatum fuiſſe, quod & doctrinâ præſtaret, & in omniū prope Aragonenſiū oculis eſſet; tantaq́ dexteritate & ſuavitate ſermonis excelluiſſe, ut plurimum in Scholarum diſſidentiū animis, ad concordiam revocandis, extingvendis odÿs, & in pace ſtabilienda valeret; & addidit: id ſe ſe pluries in ſeipſo, qui ſane vivacior ac fervidior ingenio, per-ſæpe rixabatur, adeo expertum eſſe, ut ſuum Angelum Calaſantium appellaret. Nec ſane paucos juvit monitis & doctrinis; eademq́; oris hilaritate & admirabili induſtriā ex vitiorum cœno permultos ad ſemitam pietatis eduxit.

Angelus à cōdiſcipulo appellatur.

Cum ergo utriuſq́; Juris & Theologiæ laurea de more donatus, Doctoribus ſeu Magiſtris adſcriptus eſt, D. Joan: Gaſpar de Figvera Barbaſtrenſis Epiſcopus, cujus olim inſignes ſapientiſſimiq́; Diſcipuli in Salmāticēſi Academia Bannez & Medina fuêre, eum apud ſe ſtuduit habe-

Laureâ utriuſq́; Juris, & Theologiæ inſignitur.

be-

bere; cujus in contubernio & aula JOSEPHUS ab omnibus in honore habitus, plurimum emicabat; deinde nobilis cujusdam Matronæ domum migravit, ut illi à secretis esset, ubi liberaliter ac splendidè accept9, & continuo muneribus auctus, atq; ab omnibus habitus in honore, amplis ædibus, re familiari, & cunctis vitæ commodis abundabat. Sed dæmō, quem ad certamen ipse à prima pueritia provocaverat, cum insidias illi moliri ac tendere non desisteret, matronam illam adeo incendit, ut ejus indole, modestiâ & liberali specie capta, vesaniq; amoris impatiens, accersitū JOSEPHUM omnia alia cogitantem, & qui virginitatem suam DEO atq; Deiparæ fere quotidie commendabat, secretum in cubiculum deduxit, ut clam remotis arbitris, turpiter ejus insignem pudicitiam expugnaret. Sed strenuus Dei pugil secretū

Matronæ impudicæ nontātum domô sed etiam civitate profugit.

elu-

clusit. Nam virtute, solertiâq; præstantissimâ præditus, ne-dū domo illa, sed & urbe illico excedens, in Patriam post-liminio rediit; spretis nimirum lucris, donis ac commodis, ut animi integritatem puritatemq; in integro reponeret. Quod ipsemet capularis senex, aliquot ex suis, secreto narravit, vehementer eos adhortatus, ut à cujusvis labis & noxæ semper occasione, sine cunctatione proriperentur.

Hìc cum de more, corporis afflictationibus, pietatisq; se se passim operibus exerceret, ut Pauperum inopiæ consulere posset, montem erexit, quem frumentarium apellabat, quod unicuiq; egeno, quotannis aliquid annonæ subministraret; Sancti illius JOSEPH venditi, & deportati in Ægyptum, ne-dum castimoniam, sed etiam prudentiam ac planè providentiam imitatus. Quare eos, quos pane

Liberalitas JOSEPHI in pauperes.

alere solitus erat, etiam fidei rudimentis ac pijs subinde monitis, ferventiùs instruebat. Utq; puellarũ periclitantium pudori prospiceret, societatem instituit fundavitq;, ut aliquot quotannis dotes exolveret, ac plures nuptui traderentur, quam à Rectore jussit administrari, & ab Urgellẽsi quoq; recognosci. Sed tanto oneri in tanta laborum contentione planè succubuit, contraxitq; gravissimam ægritudinem, ex qua, cum Deo pollicitus esset, se sacris initiandũ, post voti nuncupationem, convaluit.

Initiatur Sacris Ordinib9. Itaq; Anno Domini 1575. dieq; Dominica, 17. Aprilis, 19. Annos natus, à Joanne Dyma Kozuis Episco: Urgellensi Clericali olĩ militiæ adscript9; à Petro Frago Ostiens Antistite 17. Decembris Anni 1582. minores Ordines, & post-tridie Subdiaconatum accepit. In sequenti autem Anno die 9. Aprilis

lis à Gaspare Joan: de la Figvero Episcopo Javensi Sacris Evãgelicis, dieq; 17. Decembris ab Ambrosio de Mencada Episcopo, Urgellensi, Sacerdotio est initiatus. In quo quidem gradu exẽplar fere omnium virtutum evasit, adeoq; ejus virtus omniũ oculis eluceb t, ut eum sibi Ilerdensis Antistes Theologum, Confessarium, Secretarium, & publicum Examinatorem adsciverit. Hic Episcopus à Rege Catholico missus in montem Serratum, ut sibi delatam Visitationem obiret, onus præsertim illud in JOSEPHI judicio prudentiaq; reposuit; qui cum omnia sedulus inspexisset, suâ præsertim eruditione, dexteritate, ac prudentiâ, graves aliquot controversias & dissidia sustulit é Castellanis & Catalaunis, quæ haud parùm molestiæ, Sancto illi cænobio pariebant. Sex verò mensibus elapsis, Antistite vitã functo, Calasantius iterum

Ilerdensis Episcopi Theologus & Confessarius.

in Patriam rediit, ubi effæto senio Parenti, extrema in ægritudine, quæ illi vitam ademit, mirifice solamen & opem contulit. Deinde ab Urgellæ Antistite Animarum curæ præfectꝰ, multisq́; exoratus precibus, ut annueret, onꝰ tandem illud suscepit. Cumq́; per Pyrenæos montes demandatæ sibi Diœcesis inspectionem obiret, & jugiter morum emendationi, vitiorumq́; extirpationi totus incumberet; flagitiosi aliquot quos ille correxerat, ultionis causâ in eum conspirabant, sed ab ejus virtute divinitus emolliti, humillimè ab eo omnes veniam exorârunt.

Vrgellensis Diœcesis Visitator.

Cum se se tamen inde fortasis proripere voluisset, Ilerdæ Episcopus, qui ejus famam audierat, JOSEPHUM cunctarum urbium & oppidorum Judicem, in cunctis capitalibus causis instituit. Nec labori pepercit, sed spretis intercessoribus, muneribusq́;

Ilerdæ Judex

busq; rejectis, cunctis animi nervis navabat operam, ut latis jure sententiis abusus evellerentur, & vitia ac flagitia ab omnibus exularent. Quæ tunc interim ejus demissio animi, & charitas fuerit, ex eo intelligere possumus, quod cuidã rustico accidit, cum ipse illic iter haberet. Onustus huic asellus cænosum in lacũ decidit, & cum extrahere illum senex inde non posset, JOSEPHUS famulo annuit, ut misero illi opẽ ferret. Cumq; ambo junctis viribus eripiendo asello ex luto non sufficerent, JOSEPHUS equo desiliens, talarem tunicam exuit, miroq; robore, quo prædi̇tus erat cum ocreis lacunam ingressus, ita humeros corpore deflexo supposuit, ut non sine omnium admiratione, qui aderant, clitellarium asellum, extraxerit. Quod disertè ipsemet aliquando narravit, collatam sibi corporis valetudinem, laterum ac vi-

Asellum è cœno extrahere non erubescit.

virium firmitatem affirmans, quam quoties opus esset, in alienum beneficium & utilitatem libens impenderet.

Vrgellæ Generalis Vicarius creatur.

Sed Urgellæ Episcopus iterum Calasantium postulavit, instituitq; generalem Vicarium, vigetq; ad hanc usq; diem in ea diœcesi ejus virtutum fama, & præclarè gestorũ laus. Flagrãter enim incubuit sublevandis miseris, improbis in viam Domini reducendis, & ut Dei cultus & decor ubiq; in aris, in templis, & in Clero splendesceret. Cum vero Barcinone ex puella nobili & nubili rapta, magnum discrimen obortũ esset rixæ, & Proceres hinc inde ferro muniti, ad sævissimum certamen sese præpararent; aliquot viri graves, ut Patriæ excidium averterent, ad Urgellæ Episcopi opem, quam celerrime confugerunt; qui JOSEPHUM pacis conciliatorem eximium, illico destinavit, cujus admirabi-

Sedat discordias Procerũ.

li

li dexteritate & facundiâ factū fuit, ut omnes arma deponerēt, & adolescentulā redditā, ita nuptiæ cum omnium lætitia & pace conficerentur.

Divinit9 Romā evocatur.

Interea magno impulsu impetuq; evocari se Romam cœlitus sentiebat, sibi continuo videbatur hanc Divinam vocem intime audire: *Age Joseph, Romā contendas*; & cum causam non intelligeret, veritus ne malus sibi dæmon illuderet; cur in urbem pergam ? aiebat: cum nullos expiscari gradus & dignitates exoptem ? Vox tandem quam identidem audiebat, ita perculit medullas animi, ut parere illi necessum fuerit. Quamobrem sextum supra triginta annum natus, Romā petiit Anno 1592. Rom: Pontif: Sixto V. Urbem ingressus, se se Deo primum, Beatæq; Deiparæ, ejus sponso Divo Josepho, Divo Georgio M. atq; Tutelari præsertim Angelo, quotidie studiose commendans,

Ibi septẽ Ecclesias, Carceres ac Xenodochia quotidie visitat.

dans, septem Urbis Ecclesias, Xenodochia, cerceres invisebat. Cumq; sæpe discuteret quid à se Divinum Numen in Urbe vellet, multitudinem puerorũ offendit, jacientium fundã lapides, huc illucq; cum mille indecoris áctibus, verbis inhonestis, temere discursantium. Cum sibi ab illa eadem voce dictum audivit: *Vide, vide, Josephe!* & tunc illi primo cogitatio dubitatioq; subvenit, num à se vellet DEUS bonis fortasse moribus pueros erudiri, quos vidisset per somnium ad se catervatim accurrere, & ut Dei amore ac timore, fideiq; rudimentis imbuerentur. Accidit aliquando, ut mulier à malo obsessa dæmone, in sacras Praxedis ædes, ad Xsti Domini columnam à multis omnino trahi non posset; quod ut JOSEPHUS animaduertit, ád illam accessit, & duobus solum manûs dextræ digitis, quibus paulo ante in S. Mariæ Majoris

Divinitus ad institutionem Juventutis excitatur.

Obsessã à dæmone, duobus digitis in Ecclesiam inducit

ris Sacram Hostiam in ara tetigerat, prehensa illius manu, nõ amplius reluctantem fæminam, in ædiculam, ad illam columnã veluti ovem mitissimam introduxit. Quod cum ab ipso longo post tempore non nemo percontaretur, an verum esset? annuens JOSEPHUS, an nescis quanta inquit vis & facultas his duobus digitis Sacerdotis. Sua ipse singillatim exercitia ex ordine distribuerat, saluti tamẽ animarum cum diligenter incũberet, omni occasione vel hora quâ opem alicui ferre posset, protinus annuebat. Ut autem paulatim ejus virtus inclaruit eximia, *Marcus Antonius Cardinalis Columnius*, domi suæ tantum Hospitem excipere voluit, quem & Theologũ suum renũtiavit, & totius Familiæ Confessarium, Ducemq; omnium spiritualem, & Directorem. Jussit ipse Princeps Columnius, ut Nepos suus sine ejus venia domo

Cardinalis Columnii Aulæ, & sui Nepotis Moderator.

nunquam egrederetur. Jamq; illum Aulici omnes Patrem appellitabant, summoq; honore reverebantur. Ædes autem illi assignavit Sanctorum Apostolorum, contiguas Templo, unde nō sinè ingenti animi sui voluptate post septem Ecclesiarum Visitationem, quas vel diu vel noctu quotidie obire solitus erat, horis fere singulis, adorabat. Cum autem Patrum Minorū Conventualiū consvetudine frequentius uteretur, duos Religiosos Juvenes in peristylio conspicatus, qui se se invicem insequebantur, quorum unum *Ioan Baptis: Laniniū, Bagnacavallum alium* appellabāt, serio illos JOSEPHUS admonuit, nugis ut abstinerent, nam si literis & institutioni morum incubuissent, uterq; ipsorum columen Seraphicæ illius Religionis evaderet. Dictoq; adfuit fides, nam hic quando supremam Præfecturam obtinuit, tam strenuè laboravit,

Juvenib9, in Ordine Minorum Generalatum prædicit.

ut

ut cunctum Ordinem ad strictiorem Observantiam revocârit. Ille vero semel Ordinis socius & Minister Generalis evasit. Hanc vero prænotionem narravit, Frater Bonaventura Claverius Placentiæ mox Antistes, qui eodem tunc in Collegio, illos sacras scientias edocebat.

Juventutem ad Catechesin congregat.

Interim se *ad Cosmæ Vannucij* Sacerdotis amicitiam aggregavit, illum intuitus fidei rudimẽta assiduè studiosèq; pauperes rusticos edocentem, quod ipse statim munus obire cœpit, etiã in plateis. Hujusmodi quippe homines sæpenumerò congregãs, peramanterq; complectens, ad vicinum Templum aliquod deducebat, ubi angulum nactus Christianã Catechesin explicare, & rudes imbuere studiosissimè conabatur. Quamobrem doctrinæ Christianæ exponendæ Sodalitas tunc quædam in Urbe instituta fuit, cujus haud semel JOSEPHUS multorum rogatu

Præfectum egit, cumq; progres-
su temporis adaucta, ac propa-
gata fuisset, JOSEPHUS ab Ale-
xandro Cardinali Mediceo (qui
dein ad Pontificatum evectus
Leo XI. est appellatus) illius Vi-
sitator Generális adscitus fuit,
quod tamen onus sine speci-
oso illo nomine, obire voluit.
Alias item Sodalitates adjuvit
tunc temporis institutas, quales
præsertim fuêre, Archi-Confra-
ternitas S. Francisci, Sodalitas
Rosarii, & Societas SS. Aposto-
lorum, quæ ægros, inopes, in-
visere solet, & illis eleemosynas
elargiri. Quâ occasione JOSE-
PHUS cum pueros innumeros
inspexisset, ob Parentum inopi-
am torpere otio, vitia imbibere
& necessaria institutione care-
re, nec esse Scholas in Urbe, quæ
primam puerorum pauperum æ-
tatem instituerent, vellicari si-
bi animum adeo sentiebat, ut
quietem penè captare non pos-
set. Quocirca frustra sæpius cũ
Se-

Senatoribus in Capitolio egit, ut acto stipendio Regionum, Ludi-Magistri, onꝰ illud promptè subirent. Nec Cardinalis Columnii Authoritas quidquã juvit, ut id ab hominibus Religiosis impetraret. Sed dum æstuaret his desideriis, novisq; quotidie angeretur stimulis, ipse inter orandum audivit: *Tibi derelictus est pauper, Orphano Tu eris adjutor*; curaret itaq; quidquid ipse posset viribus suis, onam præsentissimam subinde opem experiretur. *Vox cælitùs ad Josephum.*

Consvetudinẽ etiam iniit tunc JOSEPHUS & familiaritatem cum CAMILLO de LELLIS, PP. Ministrantium infirmis Institutore, Viro claro meritis & virtutibꝰ, ac famâ sanctitatis celeberrimo. Et quod magna vis hominum Romam venerat, ut sanctitatis artem profiteretur, penè omnes ob àëris fortassis calorem sic ægrotabant, ut ob suspicionem contagii miserè de- *Ægros reficit.*

stituti decumberent; quibus ita JOSEPHUS & Camillus conjunctis viribus adfuêre, ut quotidie ad eos reficiendos juvandosq; cum onustis jumentis se se offerrent.

Præcipuè tamen erudiendorum Iuvenum necessitas, JOSEPHO animum ulcerabat. Quocirca multis ante stimulis ut diximus adactus & incitatus, primùm accepta ab illis superioribus potestate, quorum intererat, duos soluto stipendio idoneos Sacerdotes invenit, duoq; ab illo, cui S. Dorotheæ trans Tyberim Ecclesiæ cura demandata erat (unde noster Ordo duxit originem) peraccomoda cubicula obtinuit, in quibus has Pias puerorum Scholas erexit, Anno 1597. *Clemente VIII. Sūmo Pontifice*, præscriptis à se regulis ac exercitationibus institutis, quibus omni diligentiâ ac vigilantiâ semper aderat. Nā ipse interdum Scholas invisere,

Origo Scholarum Piarum.

pue-

puerosq; instruere, & Magistros ipsos privatim erudire solitus erat. Scholas vero manè ac vesperi verriculo perpurgabat. Cujus Institutionis fama cum tota Urbe divulgaretur, brevî numerus confluentium puerorum excrevit, quibus excipiendis duo alia cubicula vicina conduxit. Sed demum ob multitudinē puerorum è longinquo accurrentiū transferri Scholas oportuit intra Urbem, opportuniorem illis locum quærendo, ubi præsertim fidei & Grāmaticæ rudimenta pueri edocebantur. Impertiebatur JOSEPHUS pueris egenis libellos, atramentaria, calamos & papyrum, ac pueris abecedariis tabulas, qui quidem fuit perpetuus ejus mos, quo ad ipse Congregationē administravit. Præparabatq; sedulò pro Magistris dictanda, calculandi rationes, & exemplaria, nec noctu à visitandis Ecclesiis abstinebat.

Scholæ docentur.

Joscphus à Diabolo impulsu Venti à summo dejicitur.

Bellè opus ne processisset, iniquissimus generis humani hostis tantâ exarsit invidiâ, ut cũ tintinnabulum affixurus in sũmam JOSEPHUS contignationem ædium conscendisset, illũ de tegulis ad ima, venti impulsione dejecerit. Qui ex adverso in fenestris aderant, atrâ JOSEPHUM antequam rueret, involutum conspexerunt caligine; effracto igitur crure, acutisq; doloribus toto penè corpore affectus, ac vitæ exspes, lecto decubuit. Tunc illum venerandꝰ Sacerdos *Gaspar Dragonettus Canonicus Leontinus* invisit, qui moribus gravis, atq; latinæ lingvæ bene peritus, juvenes aliquot contubernales instituebat; tantaq; ejus erat virtus & eruditio, ut narrat *Petrus à Valle* in Epistolis suis, quod ipse S. IGNATIUS, ejus opera in Societatis initiis usus fuisset. Hũc venientem ad se, JOSEPHUS eâ verborum efficacitate permovit,

S. Ignatius Patre Dragonetto utitur in Societatis initio.

vit,

vit, & ad Scholarum Piarum Institutum amplectendum incē-dit, ut illico manus dederit, dimissoq́; contubernio, quod curabat, se se brevî ad Scholarū domicilium transtulerit, & rem omnem familiarem secum adduxerit. Ex cujus tam insignis Sacerdotis accessu, tanta fuit JOSEPHO lætitia, ut consolidato jam crure, brevi temporis spatio convaluerit; perstititq́; Dragonettus in ea Scholarum cura tam fervidè & diligenter, ut jam nunquā ministerium illud, quod semel iniit, intermiserit; demum in ea Congregatione post annos viginti quinq́; laborū suorū, centū viginti quīq́; annos natus, cū magna virtutū laude vitā finierit, Anno 1628.

Ætas, & Mors Dragonetti.

JOSEPHUS ædes conduxit *Octaviani Vesti de Comitibus*, qui *Clementi Papæ* ejus nominis VIII. à literis Pontificiis fuerat, ubi dein Clerici Regulares ædium S. Andreæ à Valle, januam &

peristylium construxerant. Hic JOSEPHUS relicto Cardinalis Palatio, unà cum aliis domicilium fixit; eâq; cum laude & comprobatione omnium, SCHOLARUM PIARUM Institutio efflorescebat, ut Præsul ille, quem dixi, peropportunè omnia Pontifici denarravit. Novi hujus Sodalitii famâ lætus maximopere CLEMENS, ad se CALASANTIUM evocavit, eiq; benignè locutus, se se olim animum induxisse, ut ad Juventutis instructionem Scholæ ejusmodi excitarentur. *Sed quod gravissimarum rerum (inquit) Nos mole obruti non potuimus, oppidò gaudemus & gratulamur, per vos à Divino Numine electos, id operis hâc egregiè tempestate præstitum esse.* Jussitq; ut P. JOSEPHO quotannis aliquot centena aureorum solverentur.

Clemẽs VIII. laudat Institutũ Schol: Piar:

Josepho annuã pensionẽ darijubet.

Cardinales Scholas Pias visitant & approbant.

CumRomanus Pontifex CLEMENS (ut pollicitus fuerat) Scholas ipse visitare non posset, *Sylvio Antonio & Cæsari Baronio* S.

R. E. Cardinalibus, id muneris ſedulò demandavit; qui omnia exactè ut parerent, ſuis ipſi oculis inſpexêre. Et cùm ſummâ prudentiâ & zelo eſſent Scholarum exercitationes; ordinem ac JOSEPHI virtutem mirificè cõprobarunt. Cum verò in Cardinalium Congregatione juſſu Põtificis actum eſſet, quid pro Scholarum progreſſu in poſterum decerni deberet, Conſcriptis Patribus viſum fuit, ut cæpta omnia eodem illi ritu continuarent, Sodalitatiſq; Inſtitutum, ut in Patrocinium Apoſtolicæ Sedis admitteretur, cui Noſter JOSEPHUS Præfecti munere ac nomine, ſupremâ authoritate præeſſet. Nec Pontificis Vicarius gravatè illis indulſit, ut Religioſorum hominum mendicantium more viverent & ſtipẽ oſtiatim agere poſſent. Quamobrem tanta Patrum & Pontificis commendatione Scholis adauctis, cùm amplioribus ædibus

excipiendis docendisq; percommodè pueris opus esset, JOSEPHUS ampliorem in domum cõtra S. PANTALEONIS Ecclesiam, suis cum Sodalibus immigravit.

Ad S. Pantaleonis, jussu Pont: Schol: transfert.

Sed ecce Tibi Religionum Ludi-Magistri, tot populorũ festivis acclamationibus exciti, Rectorumq; Sapientiæ patrocinio fulti, contra JOSEPHUM Magistrũ apud Conscriptos Patres datis libellis supplicibus instantissimè egerunt, ut Patrum SCHOLARUM PIARUM Institutionem succiderent, antequam firmius adoleret, ac multa in JOSEPHUM velut novarum rerũ architectum, & à seipsis lucrum amolientem, effutiebant. Verũ SSma Mater SCHOLARUM PIARũ Patrona (quæ JOSEPHO Institutionem Divinitus inspiraverat) præsidio illi fuit, permovitq; aliquot S. R. E. Cardinales, qui datâ operâ ad SCHOLAS PIAS vel animi causâ, vel fortassis etiam à Pontifice jussi, ut omnia dili-

Persecutio 1ma. Scholarum Piarum.

gen-

genter inſpicerent ac perpenderent, acceſsêre ipſi, & Magiſtrorum Inſtitutionem ac modú, Scholarumq; Ordinem, & puerorum diſciplinam, multitudinemq; admirati, qui Chriſtianæ fidei rudimenta, Grammaticen, & egregiè Arithmeticam addiſcebant, cum nihil non ſũmoperè commendandum vidiſſent, JOSEPHUM ſummis laudibus extulêre, tantiq; eum Pontifex facere viſus eſt, ut multas illi ſummas nummorum, ſolitus fuerit elargiri, in pauperes & inopes erogandas. Quod præſertim in Actis non unius viri gravis & probi teſtimonio conſtat. Eam verò tempeſtatem etiam in JOSEPHUM aliquot civêre ex Sodalibus, qui cæptam vitæ rationem aſperitatemq; ferre non poterant, & aliquot etiam ex Scholaribus, quos Pater vel admittere noluit, vel ob improbos mores ipſorum ejecerat.

Tuetur eas ſummus Pontifex, & Cardinales.

Obiit Clemens ſupremum

diem, & *Alexander Mediceus*, in Pontificem est electus Leo XI. appellatus, qui ut olim fuerat doctrinæ Christianæ Patronus, & JOSEPHUM illius Sodalitatis Præfectum optimè noverat, sic unicè diligebat. Jamq; ad Pontificis pedum oscula, cùm ille se præpararet, effigiem ei B. Virginis dono dare decreverat, sed brevî lethali morbo vexatus Leo pientissimè animam suam exhalavit. *Leoni Paulus V.* in Pontificatu successit, cui JOSEPHUS ad pedum oscula admissus Lauretanæ B.V.M. imaginem obtulit, benignèq; Pontifex JOSEPHUM intuitus est, ejus Sodalitio favit, jussitq; ut Clementis eleemosyna rata esset, & illi perpetuò exhiberetur, quod decretum diu quidem fixum fuit, calumniatores tamen haud deerant, qui Pauli animum instigarent, ut *Scholas* has *Pias*, è medio tolleret. Quod cũ Fratri *Joanni à Jesu Maria* Carme-

Paulus V. favet Scholis Piis.

me-

melitæ Discalceato, sanctitatis famâ conspicuo aperuisset Paulus, Vir ille, DEI zelo percitus, JOSEPHI virtutem institutionemq; sic commendavit, ut lætatus sũmoperè Pontifex, imposuerit illi assiduam, earundem Scholarum inspectionem; præstitit id studiosè Joannes, ac Christi Vicario opportunè denarravit, unde ille rumor obortus esset; JOSEPHUS quibus planè virtutibus emicaret, Scholarum Institutum quanta cum disciplina procederet; quis inde Urbi fructus ac Christianæ Reipublicæ exoriretur, & quod id sacris Canonibus Sanctionibusq; S. Concilii Tridentini congruũ esset. Quæ sanè Joannis Venerab: Viri mens & propensio erga JOSEPHUM, in illo præsertim opere elucet, quod Anno 1613. de cultura Pueritiæ *Cardinali Justiniano Scholarum Piarũ* Patrono inscripsit, inter alia his verbis: Hinc jam carpe fructum

P. Joannes Carmelita à Pontifice destinatus Scholas visitat & commendat.

ex

ex credita Tibi pueritia, cui excolendæ ut Patri JOSEPHO CALASANTIO SCHOLARŪ PIARUM Præfecto, Viro ob insignē Christianæ vitæ perfectionem laude dignissimo, gratū facerē, ante ānos aliquot destinavi scriptū hoc, quo bonæ educationis præcipua Capita brevissimè complector &c.

Cardinales & Proceres Scholas Pias reviſunt.

Sed quoniam profecta à Deo opera tametsi persequentiū furore concussa & undiq; lacessita, altiùs radicem figere solent; ita puerorum numerus excreverat, & JOSEPHI fama ita longius latiusq; manarat, ut viri Principes, S. R. E. Cardinales Scholas illas cum laude interdum inviserent, sumptumq; largè subministrarent, ut ad S. PANTALEONIS Ecclesiam Anno 1612. ampliores opportunioresq; eidem ædes operi pararētur. Magnū autem P. DOMINICI à JESU Carmel: Discalceati signū amoris fuit, quòd cū *Abbas Glycerius Landrianus*, Vir in Urbe gravis

vis & celeberrimus Religiosum inire Ordinem exoptaret, & quidem Carmeliticum, ille svasit ut SCHOLARUM PIARUM Sodalitatem, cæteris prætermissis amplecteretur. Quod ille præstitit, & quinque alios secum traxit, qui Sodalitium illud plurimùm illustrarunt.

Abbas Glycerius Scholarum Piarum Institutum amplectitur.

Visum tamen fuit Cardinali Patrono, & JOSEPHO Præfecto, qui nunquam Superiorum placitis abnuebat, ut recēs hæc Congregatio, quo ad altiùs radices sua progressione fixisset, *Congregationi PP. Cler. Regularium Lucensium* uniretur, quod die 14. Mensis Januarii, Anni Christiani 1614. *Paulus Pontifex* imperavit. Inquo quidem diplomate valde laudabile ac fructuosum SCHOLARUM PIARUM Institutū appellat, expresse ejus mandans administrationem ac regimen penes Generalem ac prædictæ Congregationis Clericos esse, qui Magistros Mini-

ſtroſq; ponere ac diſponere poſſent. Sed JOSEPHUS qui Inſtitutum illud fundaverat, quoad ipſe viveret Scholis perpetuò præſideret. Rector itaq; Domûs S. PANTALEONIS renunciatus fuit, *P. Petrus Caſanius* Vir doctus, magnaq; animi dexteritate conſpicuus & *V. Rector P. Balthaſar Gviſius*, qui magno ardore animi Scholas adminiſtrarunt.

Cum verò illis JOSEPHUS omnẽ feciſſet poteſtatẽ, ſe ſe unà cum Dragonetto Tuſculum cõtulit, Pias ibi Scholas ut aperiret; ſed elepsô bienniô à Patre Lãdriano certior fact⁹, quod PP. illi ad proprium Inſtitutum intenti, tædioq; laboris continui affecti, Scholarum exercitationẽ ægrè ſubirent. Itaq; ſtatim cogitare cæpit JOSEPHUS, de novo Regulari Inſtituto, pro ſtata & perpetua ſucceſſione Magiſtrorum; & facto cum ſuis Collegis eâ de re conſilio, ſummũ Pontificem adivit, eiq; propoſi-

tum ſuum, fidenter expoſuit. Igitur mandavit Pontifex Sacræ Congregationi ſuper Epiſcopis & Regularibus, ut negotiũ diſcuteret, req; ad examen deductâ, ac ritè diſcuſsâ, ſextâ die Menſis Martii Annô poſt Virginis partum 1617. *Joſepho & Sociis idem Paulus* indulſit, ut ſimplicia vota ederent, & ipſorum Sodalitatem, *Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum, Congregationẽ Paulinam* à ſuo Nomine nuncupavit, quam à JOSEPHO, qui condiderat, ſub Præfecti titulo perpetuò regi juſſit. Tunc *Joſepho Cardinalis Patronus* Religiosũ manu ſuâ habitum in poſterum deferendum impoſuit, qualem Ipſe Inſtituti Inventor Deiparâ inſpirante delegerat, eundemq; JOSEPHUS fere 13. Sociis impertiit, conſalutatæ ab Angelo Virginis die, 25. Martii, quam DEI Matrem omnes humillimè, Congregationis Patronam fla-

grantibus ſtudiis adſciverunt; in cujus ille honorem, depoſito Gentilitio cognomento, voluit appellari deinceps JOSEPHUS à Matre Dei, juſſitq; ut Congregationis inſigne foret ac teſſera, B. V. Mariæ Nomen micantib9 radiis circumfuſum. Sed & JOSEPHI exemplum inſecuti omnes reliqui, vel à Beatiſſimæ Virginis Feſtis ac titulis, vel ex Cæleſtibus (ut Superior ipſe juſſit) addixêre ſibi cognomina; Romæ verò gratũ omnibus ſpectaculũ fuit, novos Religioſos Viros inſpicere, Clericali quidem habitu amictos, ſed ſchemate diſtincto decoros, qui Apoſtolico pleni Spiritu, in Juventutis gratuitam eruditionem ſerverent.

Tyrocinium deinde conductâ alibi in domo inſtitutum fuît, & Magiſter renunciatus *Pater Petrus Caſanius*, qui cum aliis ſex Patribus è Lucenſium Congregatione (prout dixi) ad

hanc

hanc novam Sodalitatem iverat, *Pater Petrus, à Nata Deipara* nūcupatus; & Tyrones quidē primi fuêre 15. quos inter, *Abbas ille Glycerius*, *Josepho* percarus, emicabat magnis virtutibus, ejusq; ille svasione ac rogatu, nonnullos humilitatis actus in Sodalitiū introduxit; præsertim verò dictus ille superiori ita obediens erat, ut de eo præclarum sanè facinus ita narrent: Ad focum omnes hyeme consederant, cùm JOSEPHUS, qui etiam illic intererat, facta occasione de Virtutum actibus apposité disserebat; *Cuinam Vestrum (inquit) sufficit animus, ut suo ipse ori arreptam manu candentem prunam admoveat?* quod ut Landrianus audivit, nihil cogitans, nihil trepidans, nihil pavens, manum protendit, carbunculum flagrātem accepit, & deglutivit, omnibus, qui aderant, admiratione suspensis. *Lādriani Obedientia.*

Ipsum verò JOSEPHUM,

mirũ erat, quanti faceret *Paulus Pontifex*, ac cum quanta familiaritate cum eo inambulans, aliquando colloqueretur! Quin ſemel accidit *in rotundæ ædis platea*, ut lecticâ vectus, JOSEPHUM conſpiciens, evocaverit, juſſitq; cunctis, ut ſiſterent, tum varios cum eo miſcuit magna oris hilaritate, nec ſine omnium admiratione ſermones. Perbenignè etiam ejus ſocios audiebat, quibus benè precatus, jubere ſolitus erat, JOSEPHUM ſuo Nomine ſalutarent. Nec pauci Viri graviſſimi teſtabãtur, *Paulum Pontificem* induxiſſe in animum ſuum, in Purpuratorum Patrum Collegiũ JOSEPHUM referre, quod cum *Cardinalis Montaltus* illi ſignificaſſet, DEI Servus, qui ſolum humilitati enixè ſtudebat, ſummis precibꝯ exoravit, nè à SCHOLARUM PIARUM tunc Orbi exorientium Inſtituto, & à cæpto Vitæ itinere abduceretur. Deinde à *Paulo* juſ-

Joſephi humilitas & cõtemptꝯ honorũ

jussus, ut statuta præscriberet, ad quod *Narniam* se contulit, ubi Pias primùm Scholas erexit, & post aliquot dierum solitudinem magnâ quidem asperitate, & corporis afflictione peractam, Constitutionem Vitæ digessit; quod ipse posthac disertè suis affirmare solitus erat, se se non excogitasse, nec edidisse, sed à Congregationis Patrona Deipara edoctum esse. Quod à tantæ Virtutis Viro, quis sibi non persvadeat?

Narniæ Scholas erigit.

Paulô verò demortuô, *Alexander Cardinalis Ludovisius Narniam* pertransivit, ut Vaticanis Comitiis interesset, quem JOSEPHUS statim invisit, eiq; Pontificatum prædixit, uti & erectionem suæ Congregationis ab eo Pontifice in Ordinem Regularem. Nec fefellit eventus; quamobrem adeptus ille Pontificatum, & *Gregorius XV.* appellatus, JOSEPHUM ad summū honoris apicem evehere cogitabat. Qui Romam cùm rediisset,

Pontificatum Alexandro prædicit.

di-

dignitatibus recusatis, solam nisi erectionē Ordinis expostulavit, pronoq; in eum animô

Gregori9 XV. erigit Religionem, Privilegiis auget & approbat.

Pontifex *Sacræ Congregationi* negotium commendavit, quæ re discussâ, respondit posse postulata concedi, si suæ Sanctitati liberet. Die igitur 18. *Mensis Novembris* 1621. *Scholarum Piarum* primò *Ordo* appellatus est, atq; Privilegiis auctus. Anno 1622, die 28. Aprilis, ipse JOSEPHUS à Matre DEI renunciatus est ad Novennium Præpositus sui Ordinis Generalis, cui *Pontifex* quatuor socios in diplomate assignat, ornatos omnes suffragiis activæ & passivæ vocis; nimirum *P. Petrū, B. Virginis Natæ, P. Vivianum, P. Paulum Assūptæ, & P. Franciscum Purificatæ Deiparæ.* Sed 31. *Januarii* Constitutiones (quas dixi) alio diplomate comprobaverat.

Itē Vrbanus.

Vrbanus verò Pontifex, qui *Gregorio* mox successit, JOSEPHUM eâdē benevolentiâ prosecutus, Gene-

ralem perpetuum esse voluit, & ut Ordinis etiam Privilegia rata essent.

Scholis interim in Ditione Ecclesiastica, Liguria, Gallia Cisalpina, multisq; aliis in Provinciis institutis, Anno 1626. JOSEPHUS bona cum Pontificis venia *Neapolim* venit, à *Regente Carolo Tappia* magnarum Virtutum Viro invitatus, Scholas aperuit, in loco, ubi comædiæ ab histrionibus habebantur. Haud facile dictu est, earundem Actores, quas DEI Servo lites intentaverint, qui tamẽ *Tappiæ* patrocinio, ac præsertim B. V. M. ope, illos ita pervicit, ut plures ex iis ad saniorem mentem reducti, meliorem vitam amplecterentur. Firmatis Scholis, ac multorum Civium liberalitate plurimùm auctis, alii etiam JOSEPHI monitis excitati, mores suos emendabant, & nonnulli ipsi eundem Ordinem iniverũt; quorum in numero JOANNES AN-

Neapoli Scholas aperit.

Cruce factâ ulcus sanat. TONII hic fuit, cui DEI Servus sævum in crure ulcus palpans manu, ac cruce signans, mirè sanaverat. Nec defuit, qui illius vultum fulgore circumfusum animadvertit, quod præsertim (ut acta tradunt) primi aliquot Scholarũ cum admiratione prospexerant. *Vultu radiat.* Semel domi cum nihil esset, quò Familia vesci posset, ea de re JOSEPHUM Sodales admonuerunt; qui: *abite (inquit) omnes ad Sanctissimum Sacramentum, & quinquies Orationẽ Dominicam & Salutationem Angelicam recitate*; quod illico ut actum fuit, agaso quidam ostii tintinnabulum pulsans, tres in ostio mulas exoneravit, & abiit; accurrensq; janitor victualia quidem reperit, sed cum mulis abeuntem hominem, qui ostium pulsaverat, non invenit. *Divina Providentia in Ordinẽ Scholarum Piarũ.* Cùm vero Neapoli Tyrocinium esset, accidit post JOSEPHI discessum, ut quidam Adolescentulus, *Bonaventura à S. Leone* ap-

appellatus, à Magiſtro corriperetur, & audiens minas, quod niſi mores ſuos emendaret, quã primùm è Religione dimittendꝯ eſſet, adeò expavit, ut nocte illa mærens ac dolens JOSEPHO abſenti ſe ſe aſſiduò commendaret; cùm ecce repentè fulgorẽ vidit, audiitq́; JOSEPHUM ſibi præſentem eſſe, qui manu, ejus occipiti abblandiens: *Bono* animo (*inquit*) *ſis, né extimeſcas*, quæ verba tantùm illi præſidii contulerunt, ut mærorem abſterſerint, & indiderint mirum robur, quô deinceps adverſa omnia cõſtanti animo toleraret. *Romæ* etiam *Carolus Joannes à S. Barbara* dum in tyrocinio verſaretur, ac noctu in cubili ſopore correptus eſſet, JOSEPHUM, qui aberat, excitantem audivit, ut excubitorẽ moneret: tempus eſſe, quô ſingulorum oſtia pulſari, & orandi Numinis ſignum edi deberet.

Joſephus abſens, Neapoli in fulgore Tyroni apparet.

Item Romæ abſens, excitat Novitium ad Orationẽ.

Sed dum *Piæ Scholæ* ſic effloreſcerent, ut in *Sicilia, Sardinia*,

Secunda Perſecutio Religionis.

Polonia, Bohemia, aliisq; passim in locis, plaudentibus populis certati quærerentur, mali dæmonis invidia, hominem quendam Institutum illud profitentem, cujus Dei Servus licentiam objurgaverat, adeò concitavit, ut turpissimè illusus, mendaciis ac animi sui commentis inclytam JOSEPHI Familiam commaculârit; effecitq; artibus suis, ut A. 1643. in illius Præpositi Generalis locum eligeretur; tunc omnium oculis patenter apparuit, quàm solida JOSEPHO Virtus inesset, qui animi tranquillitate, & oris serenitate admirabili, novi Superioris imperio se subjecit, & tametsi non illi subditus esset, veniam petebat ab eo, & omnia ejus convicia constanti libentiq; animo perferebat. Enim verò præsertim accidit, ut gravissimè redargutum, & humillimè ante se flexum, Vicarius contumeliis oneraverit, insignem hypocritā, simu-

Josephi patientia.

ſimulatorem, ſenemq́, fatuum, & delirum appellitans, cujus (addidit) ſimul ationes & ulcera univerſis tandem innotuiſſe, ac par eſſe, ut lueret pœnas promeritas. Qui ut animadvertit non ideo Servum Dei, oris hilaritatem amittere, magis magiſq́; verbis, ac minis invaleſcebat, quoad injuriis laceſſitũ à ſe rejecit. Vicario illi duo aut tres adhærebant circiter, à JOSEPHO correcti, & qui ejus diſciplinam ferre non poterant: hi clam Dei Servum convenientes, vel ubi offenderent, acriter convitiis appetebant, pollicebãturq́; illi, exertis viribus ſe ſe omnino facturos, ut tandem creperet. Sed JOSEPHUS patienter hæc ferens, minimè querebatur, nihilq́; unquam vel domi, vel foris dixit, aut egit, ut ſe defenderet. Imo quamvis Ordinem ſuum graviter oppreſſum videret, ejus patrocinium non ſuſcepit, ſed Dei ſe ſe providẽ-

Ejus in Dei voluntatē resignatio & amor patiendi.

tiæ & arbitrio ſubmittebat, reū & dignum appellitans, cui omnia ſupplicia infligerentur, ſolitus quandoq; aliis dicere, né animum deſponderent: *Filii ſinamus ea fieri, quæ DEO libent; & ſolum in eo fiduciam reponamus.* Et uni quidem magna cum oris hilaritate ſecretè dixit: *Jam digni ſumus, ut pro Nomine JESV contumeliam patiamur. Adipiſci curemus, quod primum dicitur: Ibant Apoſtoli gaudentes* &c. &c. Cum verò Sodalis ille vehementer diffideret, JOSEPHUS de ſe ita fidenter ſubjunxit: *Dum mihi in ore ſpiritus erit, nunquam in DEI ſervitio, ob quamcunq; calamitatem, animi firmitatem amittam, nec ſpem abjiciam unquam meam, ſed in Domino ſperabo ſemper; etenim opus noſtrum non niſi ob amorem DEI adorſus ſum, neq; ullas mihi contumelias, ſed animarum illorum, qui Sodalitium vexant, quàm maximè periculum doleo.* Pluries hæc JOSEPHUS ſuis ferventioribus Fi-

liis, fidiſq; ſectatoribus iteraverat. Et ecce tibi poſt elapſos aliquot Menſes, novus ille Ordinis Moderator, qui JOSEPHŨ, & cunctam Congregationem tãtopere exagitaverat, ſæviſſimâ leprâ (quam Medici Elephanticam appellitant) & ſacrô igne correptus, cùm Dei iram vindicem miſerè ſubijſſet, continuò ſquammis ſcatere cæpit, & brevì toto corpore horribilis, penèq; combuſtus, extra S. Pantaleonis Domum, unde Patrem JOSEPHUM alioſq; depellere, ac deturbare tentaverat, *Nazareno* in *Collegio* ad omnium documentum interiit 11. die Menſis Septembris Anno Dñi 1648. JOSEPHUS tamen, quem nunquam ille, etiam proximus morti ſuum in cubiculum admittere voluit, colloquiôq; dignari; ſuâ admirabili benignitate, dum jam periculosè decumberet, pro ejus ſalute 40. horarum devotionem indicendam curavit,

Joſephi & Ordinis Perſecutor, leprâ & ſacro igne percuſſus, miſerè perit.

Joſephi amor erga inimicos.

&

& deinde ut Cadaver ad S. *Pantaleonis* Ecclesiā deportatum, honorificè unà cum aliis Sodalibꝰ demortuis humaretur. Sed morbi vi adeò intumuerat, ut cùm in commune Congregationis cōditorium inferri non posset, seorsim omnino fuerit justô Dei judiciô tumulatus.

3tia Persecutio Ordinis. Defuncto illi Generali, cujusdam Visitatoris operâ, in JOSEPHUM, & ejus Institutum parum propensi, alter Vicarius Generalis suffectus fuit, primô illô nihilo melior, qui susq; deq; pervertere omnia nixus unà cũ Visitatore, utq; Instituti rationem mutaret, novas constitutiones præscripsit ab editis sanè longè diversas; ac plures ex aliis Religionibus evocavit, qui suis consiliis adhærerent; quos verò noverat cum JOSEPHO sentire, omnes aspernabatur, & expellebat. *Cardinalis* tamen *Ginettus* recentes Constitutiones, quæ JOSEPHI sancitis adversa-

Cardinalis Ginettus Constitutiones non

ſabantur, cum accepiſſet, nimi- ùm ſtomachatus; tametſi illi ab alio Cardinali protecti, earundē promulgationem urgerent, reſiſtere voluit, nec ſe unquā permiſſurum promiſit, ut ampliùs à quoquam inſpicerentur. Cùm ergo ita ſe res haberent, & agerentur perperā multa, quæ JOSEPHI & Inſtituti amantes æquô animô haud ferre poterant; Sodales, qui Inſtitutū colebant, ſummèq; JOSEPHŪ reverebātur, tot injuriis laceſſiti, provocare ad ſummum Antiſtitem facto agmine conſtituerant; quod tamen, prudens JOSEPHUS, né fieret, ſvadebat. Et ecce Apoſtolicæ Sedis Decretū vulgatum eſt 8vâ Martii Anno 1644. Eoq; Sacra illa Inſtitutio Scholarū Piarum, ex ordine Regularium in Sæcularium Presbyterorum Cōgregationem revertebatur, quod JOSEPHUS ut audiit, patientiſſimè inquit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit Nomen Domi-*

permittit alias, præter Joſephi.

mini benedictum ! submissâ tamē voce subjunxit : *Brevi omnes ex hac vita ad judicium Domini abripiemur, & quæ nunc latet, clarè veritas apparebit.* Tunc qui præerant, aliquot Domorum Moderatores creârunt, parū Congregationis amantes , quorum non nemo datâ operâ pervulgabat: JOSEPHUM jam puerascere, & insanire, ac Congregationi ipsum suæ contrarium esse. Qua de re cùm eum per literas alii expostularent , ipse ita respondit: *Intra biennium Ego, & Nostræ hujus Calamitatis Authores ad DEI judicium adducemur, & cunctis rei veritas innotescet.* Evētus verò ita prædictioni respondit, ut brevi omnes ex hac vita, unus post alium emigrârint. Et primi quidem hic fuit exitus, quod cùm calculi diu doloribus vehementissimè cruciatus esset, post opii poculum, & post latā incisionem, quæ bene cesserat , insperatò mortuꝰ Anno 1647.

Suam, & Persecutorū mortem ante biēniū prædicit.

Exitus Persecutorum.

Nec impune abiit Vicarius

Generalis in ſequenti Anno, ſcilicet 1648. Cùm non nemo de malis quereretur, quæ tunc ipſius operâ Congregationẽ pervertebant, temerè ipſe accenſus irâ reſpondit: *Poſſe, ſi liberet, ſuam Congregationem è terrarum Orbe radicitus extirpare*; Quibus verbis reſponderunt non nulli: *Caveret, nè id potius ſibi, qui dixerat, quàm DEI Matris Congregationi omnino contingeret*, quam ob rem irâ percitus, animum induxit, ut omnes ſibi adverſos Româ depelleret, præſertim JOSEPHUM ſuæ Congregationis Inſtitutorẽ. Sed biduum non ceſſerat, cùm ex aliquot nummis aureis à JOSEPHO miſſis, ut commune negotium ageretur, ſolenni conviviô præparatô, in Collegio Nazareno in puncto temporis, quô cum aliquot ſæcularibus menſæ accubiturus, manus ſuas ablueret, repentè ac miſerè corruit, & ad cubile delatus eadem ſævâ illâ leprâ & igne correptus

fuit; tunc vindicem Dei iram expertus, & ab externis illis, arctâ ſibi propinquitate junctis monitus, repentè miſit, qui à Josepho genû veniam precaretur humillimè. Sed Dei Servus decuſſatis illico brachiis ſupra pectus, cum magno Spiritu elatâ voce reſpondit: *Ego illi ex toto animo ignoſco, totô inquam animo parco illi, ita mihi peccata Deus dimittat; neq; enim unquam aliud, quàm ejus ſalutem animæ optavi.* Et confeſtim ægrum inviſens, ab eo vultum avertentem, verbis ſic excitavit, ut ipſe gratias egerit illi humillimè, facti pænitens. Miſit deinde duos Sacerdotes, qui ſeriò eum monerent, ut ſe ſe ad mortem ritè diſponeret, ac poſtridiè manè ſacro Corporis Chriſti viatico horâ decimâ veſceretur; quod cùm ille piè eâdem horâ feciſſet, vix horæ quadrans elapſus fuerat, cùm delirio correptus, 6tâ die Januarii vitâ deceſſit; curavitq;

Jo-

Josephus, ut ritè illi justa persolverentur; cadaver ejus delatum ad S. Pantaleonis ædem, honorificè in cæmeterio cõmuni conditum fuit. Similiter alius quidam Sodalis nequaquam vindictam evasit. Quippe cùm primi illius Vicarii Generalis fidem mendaciis habuisset, & suâ illum fovisset authoritate, miserèq; Congregationem concuteret, ac Dei Servum exagitaret, enatâ sibi turpissimè in ore gangrenâ, mense Julio, Anno 1649. vivere desiit; cùm ipse etiam à Josepho veniam humillimè postulasset. Quæ omnia *Cardinalis Ginettus* perquam prudenter expendens: *à DEI Servis (inquit) affligendis, vexandisq; cavendum esse.* Sed aliquot Josephi Virtutes currenti calamo, ac sine ordine enumeremus. *Virtutes Josephi.*

Eximius Justitiæ cultor fuit, nec pati poterat alicui quidquã adimi, quod tribui ac conferri illi par esset. Nihil temerè de

aliis judicabat, ac mali ſuſpicabatur; & ſi quid cerneret, aut audiret, in bonam plerumq; partem accipiebat. Mendacii oſor acerrimus, ita veritatem coluit, ut ab omni ſimulatione, & ſermonis ambiguitate longè diſtaret. Otioſum illi verbum non excidebat, ſed omnis ei ſermo candidus erat, ſpiritualis, ac fructuoſus. In remiſſione animi aderat, curabatq; ut colloquia de Inſtituti obſervantia, vel de lectione, quam ad menſam audiverant, vel ſacrâ de re quapiã haberentur. Tum ſi quis in facetias erupiſſet, nonnihil ipſe ore ſuccenſus, ajebat: *Dimititte nugas iſtas, & de Religioſa ſolùm perfectione adipiſcenda diſſerite.* Quodſi ſubmiſsâ quisquis voce de mũdi rebus cum aliis loqueretur, ipſe ſuo ſermone ſermones ipſorum futiles arguebat. Similiter cùm duo ſimul domi de *Hiſpanicarum* & *Gallicarum* rerũ amplitudine præſtantiäq; contenderent,

rent, & eos Josephus superveniens audivisset, vultu subiratus: *finite (inquit) hos sermones; Religiosi Viri officium est, non ineptè disserere de potentia & præcellētia Regum, sed assiduè orare Divinū Numen, ut Principum inter se dissidentium & pugnantium animi ad concordiam revocentur.* Nunquā contractô, sed serenô semper ore, submissâq; voce, ac placidè loquebatur, facilèq; flectebat alios in sententiam suam. Non erant ex cordatis Viris, qui illum libentissimè non audirent doctè quid in exedra disserentē. Quin non solùm rudes ac Plebeii, sed & Viri quandoq; Principes, Præsules, & Antistites sacri, & doctrinis eruditissimi, ac qui loquendi arte præstarēt, ejus sæpe consilia admirabantur, multisq; etiam Cardinalibꝰ in oculis fuit. *Columnius* qui illum Prorex in Aragonia noverat, magno in honore habuit, uti diximus. *Cardinalis Justinianꝰ*

Æstimatio Josephi apud Cardinales.

adeò

adeò illum venerabatur, ut solitus esset dicere : *Nisi dignitas me retraheret, cùm Pater Josephus venit in ædes meas, ad illum ritè excipiendum ut Virum Sanctum egrederer ad peristillii januam in publicam viam.* *Cardinalis Spinola* Archiepiscopus Compostellanus ex Urbe discedere noluit, quin ejus simulacrum secum afferret, quod non sine multorum ope & industria effingendum sibi curavit. Quippe cum suam effigiem advertisset à Pictore quodam delineari, vehementer admiratus, & subiratus ajebat: *Quis tam insipiens homo sit, ut meum exemplar habere optet? Num is ego sum, ut à Pictoribus exprimi merear? & imagines meas exponi?* Sæpe illum *Cardinalis Albernotius* accersebat, & quòd raró JOSEPHUS pergeret, maximoperè querebatur. *Cardinalibus Lentio & Tuniano* à Confessionibus fuit. *Albanus Cardinalis* tanti illum fecit, ut *Albanus* ¡*Comes Bergomensis* ejus sobri-

Cardinalis Spinola, ejus effigiem procurat.

bri-

brinus Authographas aliquot ejus literas, Venetis in sui præsidiũ exquisierit. Oratores Regis Catholici, Christianissimi Regis, ac Reipublicæ Venetæ Sanctum Virum appellitabant. Nec *Romæ* solùm, sed in *Hispaniis*, & *Germania*, & *Polonia* suo in honore habitus fuit absens, cùm insigni dono consilii; permagno etiam dono Orationis excelluit, ex quâ nonnunquam abalienatus, & ex ore ignis succensus egredi videbatur. Nec aliquod unquam grave opus peregit, quin primò diuq; Divinum Numen, nixus genibus exoraverit. Tres noctu, vel quatuor ad summum horas captandæ quieti in suo cubili dabat, excussoq; mox igne, ac lumine accenso, Divinum, B. M. V. ac Defunctorum Officia, aliasq; pias preces solitus erat recitare; & deinde perlegendis piis & asceticis libris, præsertim *Divi Gregorii* Moralibus incumbebat.

Sanctus appellatur.

In meditatione ejus exardescit ignis.

Quod verò ad Divini pensum Officii attinet, suos persæpe monebat, ut statis illud horis persolverent, aut si Scholæ habendæ essent, tempus anticiparent: *Anticipationem enim ajebat esse propriam diligentium recitationem, obitam statis horis obedientium, & seram officii dilationem, negligentium appellabat.* Missam quotidie vesperi perlegebat, quam noctu meditabatur. Accidit, ut cùm quidam in ejus cubiculo somnũ caperet, quandoq; ab eo JOSEPHUS petierit, ut sibi vel Introitum, vel Epistolam, vel Evangelium dicendæ manè Missæ in memoriam revocaret, quam cùm deinde ab excubitore, cellæ pulsarentur, iterum volebat iterari, & ut illi alta voce relegeret, eandem ipse tertio percurrebat, sacris operaturus. Quid ergo mirum, si cum tanta pietate animi, Divina Mysteria obire videretur, ut spectantibus sæcularibus quandoq; timorem ac horro-

Præparatio ejus ad Missam qualis?

rorem incuteret? aliquando etiam continuò orando, insomnis noctem extraxit, seseq; in cubiculo flagris assiduò verberabat. Lateribus verò calcaria ferrei cilicii raró deerant, monebatq; persæpe suos, ut sibi Paradysum in cella constituerent, veluti *Christum Dominum* à dextris, *B. V. Mariam* à sinistris, & undiq;versùm Apostolos, & alios Cœlites Patronos haberẽt. Optabat etiam, ut sese secretò despicerent; ut erga Sanctissimũ SACRAMENTŨ pietate summa flagrarent, à quo magnum lumen, ajebat, ad spiritualis vitæ Institutionem hauriri posse. Nec devotionem *B. V. Mariæ* inculcare prætermittebat, cui plures in templo aras erexit, ut multis titulis, suos, & pios fideles ad eam colendam, & venerandam incenderet. *Mortificationes.*

Semel in die vescebatur, nec ideo portionem ullam majorem, vel cibi quidquam indul- *Abstinentia.*

gebat; quamvis Nonagenarius ſenex, contentus eô, quod cæteri haberēt. Sed quartâ ac ſextâ feriâ, in pane ac aquâ frigidâ jejunabat; aliis vero mira charitate proſpicere videbatur. Et cùm ſemel nihil domi eſſet, quod in cœna cunctis apponeretur, viſus fuit ore non nihil cogitabundo ac prope mærenti, ſed plenus fiducia in Deum, ſe ſe in ſede cōpoſuiſſe, manu admotâ capiti, veluti quietem capturus; & ecce tibi, venit quidam ad januam, aſellum ducēs onuſtū, & ſex nūmos illi ferens.

Divina Providentia in Religionē Schol: Piarū.

Quotidie Scholas diligenter inſpiciebat, & ſi quos miſerabiliores pueros inveniſſet, ſeorſim edocebat ipſe, ac etiam cibo reficiebat, alijſq; diligentibus, præſertim ijs, qui Nobili ex Familia eſſent, & maximè Sacerdotibus, Panē, Vinū, Oleū, ac ſuas quandoq; veſtes ſuppeditabat, procurabatq; quam poterat opem; viſuſq; ſemel fuit il-

Joſephi miſericordia in egenos.

illorum uni aureum unum duplicem elargirii. Nec raró Præposit9 Generalis, nixus genibus in Refectorio vescebatur, vel in mensa vescentibus, & in culina ministris inserviebat; abluebat patinas, aut alia munia vilissima obibat; nec petiit unquã, quod sibi in mensa deesset; quandoq; accidit, ut cyathum non inveniens, potû penitus abstinuerit. Cum verò aliquid alicui defuisset, statim monebat ipse ministros, & etiam quandoq; redarguebat. Jussit, ut omnes ante cibum in mensa, salutationem Angelicam recitarent, ut Catholici de perduellibus hæreticis victoriam ferrent; & ut quotidie canentes: *Sub tuum præsidiũ* &c. ante Deiparæ Imaginẽ humillimè studiosissimèq; prosternerentur. Illud autem summopere commendabat, ut in singulos dies Sanctissimum SACRAMENTUM inviserent, & quæ Religionis vota pridem professi e-

Infima mediastinorũ obit officia.

Religiosi Scholarum Piarũ, mensæ accubituri orãt pro Victoria contra hæresim quotidie.

rant, denuò nuncuparent. Monebat assiduè Professores, ut pueris Dei timorem incuterent, eosq́; Dei cultum & reverētiam insigniter edocerent; in quo qui peccasset, nec emendaret, aut vapulabat, aut è scholis expellebatur. Cùm verò aliquis è Magistris quidpiam impatienter egisset, aut verberasset cum iracundia pueros, jubebat, ipse ut in eodem gymnasio pœnam subiret, puerorum pedes deosculans. Nec à pueris aliquid accipi permittebat; quocirca Scholarum initiô, ante Ordinem institutum, quendam Ludi-Magistrum, etiamsi docendi arte præstaret, eò, quòd à puero accepisset atramentarium, statim expulit.

Quid de inconcussa ejus cōstantia & fortitudine dicam, pro Dei gloria, proximorum salute, suæq́; Congregationis progressu? arduas res non semel adorsus, nihil hæsitans perduxit ad

exi-

exitum, & dæmonis technas adversantis sibi perpetuò, disjecit ac superavit. Labores verò, incõmoda, insectationes, ærũnas, ita æquo præstantiq; vultu, prope Angelico hilariter tolerabat, veluti sensu careret, crebrò illud usurpans: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Itaq; animi ejus temperantia admirabilis fuit, cùm neq; voluptate ullâ diffluerct, ac lætitiâ in secundis extolleretur, neq; dolore aut mærore ullo ipsum affici contingeret in adversis. Nunquam excanduit, aut commotus est vehementi animô, nunquam deliciis est illectus, solatioq; illi erant asperitates, laboresq; quos hilari vultu quotidie perferebat. Nec sibi cibum permisit, nisi quem vel ipsi hosti suo quisquam non negasset, quô nimirum vitam aleret.

Contemptor sui ipsius, aliorum virtutes quàm maximè

ad-

admirabatur; & ut ſummo ſtudio & arte, Dei dona in ſe diſſimulavit, & contexit, ita quidquid in aliis micaret, effuſiſſimè commendabat. Abhorruit ſemper à gradibus, & honoribus, & bis ad Inſulas à *Philippo Rege* Catholico IV. poſtulatus, & ob Pontificum gratiam purpureo galero ſæpe proximus, dignitates omnes averſabatur. Nec repoſitam ſuæ Congregationis Præfecturam ſuſcepit, niſi obedientiā adactus, in qua tamen cum omnibus vel infimi ordinis hominibus demiſsò animô ſemper egit; curavitq́; quā diligenter, ut ſuæ Congregationis Sodales, veluti Divinô patrimoniô fulti, inſigni humilitate percellerent; fuitq́; omniū oculis veræ virtutis Religioſæq́; continentiæ exemplar, cùm perpetuò ſe jejuniis, vigiliis, orationibus, flagris, & ciliciis afflictaverit, tantoq́; ſui odio tenebatur, ut novas quotidie aſpe-

Cardinalatum & Epiſcopatū non ſuſcipit.

ſperitatum formas, & domandi corporis modos adinveniret, nec unquam ob ſenium, rigorem omiſit, ſed ipſe Juvenes aſſociare, & ſuâ manu ſcholas, & alia cubicula repurgare verriculo viſus fuit. Et cùm Magiſtri deeſſent plures, ipſe unus ſcholas, ſe ſe miro artificio veluti partiens ac diſtribuens, edocebat. Cùm verô Magiſtri ipſi vel dirigi, vel admoneri deberent, aderat ipſe opportuno tempore, & flexis genibus, noctu lectiones, themata, & dicta præparabat. Non ſemel per Urbem panem emendicavit, vilia enim munia quotidie obire videbatur.

Scholas & aliorum cubicula purgat.

Flexo poplite, lectiones, themata, Magiſtris parat.

Quocirca ſemel *Cardinalis Torres*, ut conſpicatus aſellum ſtrigili in publicâ plateâ diffricātē, obſtupuit, & ex feneſtra, altâ proclamans voce, ait: *Pater Generalis quid agis?* Cui ſubridens Josephus: *Doceo* (inquit) *Sodalē, cui hic frater eſt curæ, quomodo de inde habendus illi.* Sæpe in con-

Humilitas Joſephi.

clavi aliorũ pedes osculabatur, petebat veniam, ac humi cibum captabat genibus flexis, inserviebatq; ipse interdum omnib9, dum in mensa reficerentur; patinas eluebat, nec raro humi stratus, voluit incedentium pedibus proculcari.

Nunquam permisit, ut se Reverendissimum, vel Admodũ Reverendum, vel Ordinis Conditorem, scripto vel voce appellarent; nec ulli, nisi Divino Numini, Beatæq; Deiparæ Ordinẽ suum in acceptis referebat; summâq; cum lætitia obtinuit, ut sua olim Congregatio aliorum regimini, & directioni subderetur. Multas item patentes literas, quibus aliquando illi fuerant gravissima munia honorificè demandata, & injuncta, igne absumpsit, ut nulla amplius honorum suorum memoria superesset. Et de Doctorat9 privilegio minutatim conciso scuticam egit, quâ peccantes erran-

Literas honorificè ad se scriptas comburit.

rantesq; Juvenes in gymnasio vapularēt. In ijs verò, quæ apud se habere necessarium duxit, quidquid honorificum esset, & pateret, studiosè delevit. Nec rarò alios ad humilitatem adhortans, si quos vidisset vilia munia detrectare: *O ignavos, & inertes!* (ajebat) *qui æternæ coronas gloriæ amittitis, an nescitis, quòd parvuli ætate & humilitate, Regnum Cælorum adipiscantur?*

De se, suisq; rebus, ut sentiebat semper, humillimè loquebatur. Et cùm secundâ Dominicâ Adventûs Domini, de more instituisset sermonem ad suos, de bonis, quæ ex ærumna & vexatione orirentur, eundemq; in sua deinde cellula non sine animi fervore prosequeretur, non nemo illi subjecit ingens illud promeritū, quòd ab eo propter Ordinis calamitates quotidie referebatur; cui confestim, imo ex corde suspiriū ducēs: *O me miserū! quàm stultè ac fatuè eô munere*

ſemper functus ſum, nihil omnino unquam boni, nihil proficui in hanc diem feci; quot, & quanta munera sũt & gratiæ, quas indigno mihi & nullius æris homini, Divina Providentia contulit! Quàm verè in inferno uri igne mererer, quales verò pœnas purgatorio ſaltem in igne luere debeo! & ſi mihi DEVS ea cruciamina dimittere vellet, & cum his levibus adverſitatibus, quas patimur hodie, commutare, nonne ſummum & inæſtimabile lucrum & beneficium eſſet? Jam ſi meas Pontifex ineptias audiens, me perpetuò conjiceret in ergaſtulum, aut probroſa ad triremis tranſtra damnaret, dum tamen inferni pœnas evaderem, & citius ab igne purgatorio liberarer, nonne munus hoc excipi ſummis gratiarum actionibus oporteret? Eja Fratres! in adverſis ferendis non homines ut cauſam inſtrumentalẽ, ſed DEVM cauſam efficientem, & noſtrum unicum Bonum intueamur. Quamobrem mira ejus patientia eluxit, non ſolùm in perferendis adverſis,

ſis, ſed etiam in perſecutionib9 diligendis.

Nonnulli, quos ad vota admittere noluit, necē illi inferre tentarunt, quos inter Novitius Laici Ordinis Frater fuit, qui tentatus à dæmone, & in iracūdiam actus, JOSEPHUM vel fuſte cædere, vel ex medio tollere cogitavit. Nactus igitur opportunum tempus & locum, impiè in eum ſcalas aſcendentem manus injecit, ſed B. V. MARIA patrocinió præſens adfuit, quæ ictum averteret, & flagitioſum ſua voce, & manu exterreret. Cumq; tota in eum domus perſtreperet, DEI Servus omni conatu egit, ut qui à reliquis Patribus amplius retineri non poterat, omnino liber abiret, & nihil moleſtiæ in foro pateretur. Quē cùm audivit ægrum eſſe, & ſuæ domi lectô decumbere, interdū peramanter inviſit, miſitq; ſui Collegii medicum, ac quidquid curando opus fuit, ſtudiosè ſubminiſtravit.

B. Virgo Joſephū ab ictu impii protegit.

Similiter à primo illo (quē ſuperiùs dixi)contumeliis habitus, falſidicus ac mendax appellatus, ſolùm, ſine animi commotione reſpondit: *DEVS, qui omnia clarè pervidet,inter me & te Judex erit, & tunc verum pateſcet.* Cumq; Cardinalis Patronꝰ nonnulla perperam ab illo facta cognoſceret, Josephus fixis humi genibus preces ſuas iteravit, & inſtitit, ut ille vel leviter puniretur. Quod impetrare non valens, cùm prævideret, quod futurum erat, elatis ad cœlum oculis inquit: *Væ meæ Religioni! væ mihi! ſed de me, cunctoq; Ordine fiat, quidquid Deo libuerit.* Et ecce brevi temporis interſtitio elapſo, ſextâ quadam feriâ ad Sacram Congregationem delatus, una cum ſuis Aſſiſtentibus, Secretario, & Procuratore evocatus fuit ad Judicium. Confeſtim impranſus Pater, & pridie etiam incænatus pallium induxit, viæq; ſe dedit, ut juſſum fu-

fuerat, cupiebatq; etiam per viam celebriorem transire, ut majus sibi dedecus inferretur. Et pompa hæc quidem erat: Præibat Josephus cum suis, sequebatur quidam curru vectus, & post currum agmen satellitũ incedebat; & ubi ad sacras illas ædes jam pervenêre, subsistere Josephus in aula jussus, cum tanta serenitate animi hærebat, ut sedi subnixus, sopori se dederit, suam interim innocentiã, & insignem animi integritatem ostendens. De quo autem agebatur, hoc erat: Scripta quædã sublata erant è cubiculo illius, quem superiùs indicavi, in quibus aliquid erat, ad Sácrã Congregationem illam quod attineret; quæ quidem Josephus, cui ille crimen impegit, nunquam aspexerat, sed mandaverat ea per suum Auditorem auferri Cardinalis Patronus, qui statim, ut id rescivit, rem suo chirographo contestatus, illa restituit. Et

Dormit securus inter adversa.

tunc

tunc Josephi innocentiâ dilucidè, apertèq; compertâ, honorificè suis cum Sodalibus revectꝰ est domum.

Virginalis ejus castitas tãta erat, ut vultu, moribus, ac sermone veluti Angelus pudicitiam præseferret, pudoremq; aliis, quibuscum ageret, instillaret. Nullus aliquam ejus partem nudam aspexit; nullus, nisi ejus hostis, & à malo dæmone per invidiam incitatus, non ejus modestiam, & insignem animi integritatem admirabatur. Paupertatem sic adamavit, ut sua pauperibus institutôOrdine omnia distribuerit, nec aliorum hæreditates optavit unquam, quin sibi oblatas constantissimè recusavit, voluitq; ut Sodales sui pauperes essent, ac mendicarent; divinam illis Providentiam semper adfuturam pollicebatur, ideo nullis precibus flecti potuit, ut *Squarsiasiciæ Familiæ* legatas sibi facultates ac-

ci-

ciperet, quæ ad plurima aureorum millia aſcendebat. Sed tametſi pauperrimus eſſet, quâ poterat, inopes ope & ſubſidio ſublevabat. Flagitavit ſemel ab eo, dum in ſacrario eſſet, quiſpiam eleemoſynã, qui uxorem & multos liberos ſe dixit habere, quos alere deſperabat; JOSEPHUS ſtatim œconomũ evocavit, *& quot domi (inquit) panes habemus?* perpaucos, ille reſpondit; juſſitq; JOSEPHUS, ut egeno omnes illos elargiretur. Abnuit Miniſter, quòd domi ægri eſſent quàm plurimi reficiẽdi; ſed JOSEPHUS: *Parete* (inquit) *& date illi panes, quotquot habetis, noſtratibus enim DEVS proſpiciet panem, ſanis, & ægris.* Hôc auditô Miniſter obtemperavit. Necdum pauper ille panibus onuſtus, templô egreſſus fuerat, JOSEPHO ſcriptum exhibuit, ut à quodam piſtore Urbis, Patres, dum liberet, nonaginta ſibi panum decades accipere poſſent,

Eleemoſyna Divinitus compenſata.

famulus *Cardinalis Montalti.* Nequaquam & hoc tacendum; aliâ die cùm panis domi minimè esset, Matrona quædam venit ad januam, electissimum in calatho panem ferens, quàm, qui aderant, cùm ex specie ac dignitate admirarentur, relicto statim pane disparuit. Obedientiam ita peramanter ac libenter amplectebatur, ut superiori cuicũq; etiam illi, cui nullâ ratione tenebatur, veluti Novitius ad nutum obtemperaret; nec ingravescente ac extremâ quidem ætate Superioris unquam scita neglexit, nihil optabilius videri sibi prorsus affirmans, nihil omnino tutius, quàm parere, obsequi, & aliorũ arbitrio se submittere. Quin in rebus domesticis suam sæpe voluntatem ac sententiã facilè, aliis auditis, abjiciebat. Sed aliis prætermissis hoc unum sufficiet, ut ejus ad parendum facilitatem & promptitudinem admiremur. *Clemens Boncompa-*

gnus

gnus, ejus calamitatem & ſervitutẽ perpendens, ſexaginta circiter aureos illi nummos impertiit, ut in ſuum commodum & utilitatem impenderet. Et quãvis JOSEPHUS ut Præpoſitus Generalis (etiamſi in alios ſuſpenſa fuit ejus authoritas) nulli ſubditꝯ eſſet, Paupertatis amãtiſſimus, ſtatim omnem pecuniã adverſo ſibi primo illi Generali Vicario conſignavit, humillimè rogans, ut ſi videretur, aliquid ex ea ſumma ſibi concederet, quò (ut in more habebat) Benefactoribus & devotis poſſet pia munera diſtribuere. Sed is acceptâ pecuniâ nihil de JOSEPHI neceſſitatibus curans, ac ruſtico fere (ut ſolitus erat) modo, pauculos ſolùm denarios illi contulit, quos DEI Servus cum ſumma animi quiete, & cum alacritate ſuſcepit. Eccleſiæ verò præceptis, ita parebat, ut nunquam vel graviſſima ſenectute adactus generalia jejunia ſolverit. Hæc

Joſephi Paupertas & Obedientia.

tanta virtutum decora ostendũt, quàm meritò illi contigerit, quod fortasse initiô à nobis scribendum erat. Cuidam enim suo familiari narravit, tres numerô puellas per quietem sese vidisse, quæ ad ipsum propiùs accedebant, quarum una, ab eo opem profusis lachrymis, clamoribꝰq́; implorabat; percontanti verò JOSEPHO, quid mali haberet, & cur tantopere gemeret? *Omnes* (inquit) *me contemnunt, fugiunt, expellunt, & aversantur, & non est, qui me recipiat foveatq́;.* Tunc misertus Pater, eam amplexus est, & in sublime extollere videbatur. Hæc cùm manè vidisset, eâdem die mysterium intellexit. Augustô enim menseAssysium venerat, ut *B. V. Mariæ Angelorum* Sacram ædem inviseret, & insignem illam peccatorũ expiationem, ac indulgentiã lucraretur. Et tunc orans, bis S. FRANCISCUM Assysinatẽ aspexit, qui tres illas miræ pulchritudi-

Paupertas Castitas, & Obedientia desposatæ Josepho à S. Francisco Seraphico.

nis

nis Puellas ipsi eadem in cella desponsavit, tria Religiosi Ordinis Vota repræsentantes: despectam nimirum ab omnibus *Paupertatem*, *Castitatem*, & *Obedientiam*. Quod tamen non primo illi, quem dixi, sed alteri Religioso Viro externo narravit sibi familiarissimo, qui sic habet: *Frater Bonaventura Claverius*, *Placentiæ Episcopus*, & magnus Peccator, *toti terrarum Orbi fidem facio, coram Deo, quòd Pater Josephus Matris Dei Scholarum Piarũ jam Generalis, cognitus à me fuit, & ejus consvetudine usus sum per annos plurimos, & semper inhærentem sibi virtutem, atq; perfectionem tam in actibus, quàm in verbis ostẽdit, ut ipse liquens incenderer ad Dei amorem, & mundi contemptum. Et cùm illi semel Romæ in æde S. Pantaleonis nonnullos meos sensus aperuissem, secretò ipse mihi narravit,* olim Assysii, *quò ob plenariam Indulgentiam ad S. Mariæ Angelorum festum perrexerat, sibi semel & ite-*

rum S. Patrem Franciscum apparuisse, & tres illi desponsasse puellas, quæ Obedientiæ, Castitatis & Paupertatis vota exprimebant. Tum magnam illi difficultatem ostendit, quæ in plenariæ Indulgentiæ adeptione contingit, quam etsi probè intellexerat illustrationem acceptam, explicare tamen minimè se posse illam affirmavit. Quamobrem puto felicẽ illam Animam nunc cœlo jam frui; sed mirus & in terris hic servus Christi apparuit, quem facile imitari alii minime possent; Eumq; rogo, ut mei meminerit miseri, & vilissimi peccatoris. Placentiæ die 15. Octobris Anno Domini 1621. Ego Frater Bonaventura Claverius cõfirmo, manu propriâ, quidquid suprà scripsi.

Iosephus in extasi. Cæterùm quidquid ejusmodi esset, studiosè ipse contegere, ac nulli narrare solitus erat, nec domi unquam innotuit, nisi quod *Lanfrancus* & alii magnæ Virtutis Viri suis ipsi oculis observarunt. Ut cùm semel cubiculũ

culum ejus, quidam familiaris ingreſſus, JOSEPHUM reperit animō à ſenſibus avocatô, ſurſùm in àére elatum eſſe. Alius etiã, qui Sanctitatis laude florebat, cùm noctu ejus cubiculum per oſtium aſpexiſſet, miro quodam lumine radiantem *Sanctiſſimam Dei Matrem* illas per rimas animadvertit à duabus Sanctis Virginibus comitatam, ſublimi è terra JOSEPHO, elatoq́; in àéra blandientem. Mox aliquot abſentium, ſecretorumq́; cognitiones, & vaticinia referamus.

Cúm Sodales domum ex negotiis, aut mendicatione redibant, antequàm quidquam referrent, quòd actum erat, eos interdum JOSEPHUS aut laudabat, aut arguebat, quòd bene aliquid, aut perperam præſtitiſsēt, omnibus, qui aderant, admiratione ſuſpenſis. Et ſemel quoſdam Laici Ordinis Fratres miſerat extra urbem, quorum alter in jumentum, quod in itinere *Abſentia cognoſcit.*

er-

erraverat, ita excanduit, ut diu illud fuste cæciderit, sed domũ reversum, velut id ipse præsens oculis aspexisset, Josephus blãdè redarguit, & correxit.

Futura prædicit. Juliæ Mirandæ, diviti olim fœminæ, mox egestate pressæ, cui ipse suâ ope subveniebat, dixit apertè, sese minimè ex hac vita mortali abiturum, quin Numen illi quotidianam statãq; alimoniã attribueret; nec prædictio eventu caruit, pridie enim, quàm Josephus ex vita migrasset, Romanæ Rotæ Auditores quotidianum illi panis ac vini pensum, & unum aureum in singulos menses assignârunt.

Quidam *Diomedes* ex suis, *Neapolim* pergere cupiebat, renuebatq; Josephus, qui à quodam Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali evocatus, ut id permitteret; *abi* (inquit) *sed tamen scias Parentibus tuis nequaquam, ut optas, te allaturũ solamẽ.* Cùmq; Româ profectus esset, paucis ali

liquot mensibus elapsis, vitam cum morte, nec sine magna Parentum mæstitia commutavit. Persimilem exitum cuidam prædixit *Joanni Baptistæ*, cùm è Cōgregatione discederet, ut sororib9 opem ferre posset; *Non enim* (inquit) *opitulaberis sororibus tuis, sed grave illis detrimentum ac damnum afferes.* Nec vana fuit denuntiatio; illecebris enim, cùm se inhonestæ vitæ dedisset, rem familiarem ita dissipavit, ut biennio mortuus, sorores in magna inopia & egestate reliquerit.

Laurentius ab Annuntiatione Annô circiter 1641 mense Aprili graviter ægrotabat, cui tamen JOSEPHUS benedictionem poscenti, *ægrotos sanat.* suo nomine dictum voluit: eum minimè moriturum, quod ipse nollet. Et deinde illum cùm invisisset, frontem cruce signavit, & Sancti Joannis Evangeliô recitatô: *Non morieris*, (inquit) *volo ut sis incolumis, & mihi in Ordine inservias.* Nec fefellit eventꝰ,

nam quatriduò post è lecto surrexit. Similiter *Carolo à Passione* depontano jam seni & ægritudine laboranti : *Bonô sis animô* (ait) *convalesces, & insuper vives duodecem annos.*

Annô circiter 1618. *Patrem Paulum* Moderatorem cujusdam Domûs ad oppidū quoddam misit, quod viginti passuum millibus ab Urbe distabat; cumq; illius socius *Michàël* quidā Lucensis, Laici Ordinis Frater, cibum petiisset, quô ambo in itinere vescerentur, Josephus, qui aliàs tantâ charitate flagrabat, ut peregre profecturos non commeatu solùm, sed & donis aliis impertiret: *abite (inquit) nam vestro itineri sufficiens annona non deerit.* Profecti igitur ambo, cùm meridie quiescere vellent, ad fontem diverterunt, ubi stratū candidissimū linteum, duos panes, ac vini lagenulam invenerunt. Quâ de re Josephus certior factus, sermonem ad omnes

Providentia Dei.

de

de habenda in Deum fiducia instituit, idemq; aliis aliquando narravit, cùm de Divina Providentia loqueretur, factum assignans non suo merito, nec prædictioni, quam dederat, sed fidei, quam uterq; illorum habuerat, nihil hæsitans.

Duo Sodales Genuenses in Patriam regredi cupiebant; abnuit Josephus, sed aliquot Cardinalium rogatu coactus, eos permisit abire; Rectori tamen illius domûs scripsit hæc verba: *Nostrates veniunt isthuc, ubi finient vitam cum propria voluntate, parere enim in Ordine nondum didicerunt*. Comprobavit prædictionē eventus, nam unus post alium brevi obiêre. *Mortem aliis prænuntiat.*

Lauræ Cajetanæ, Nobili Matronæ, quæ anxiè verebatur, nè filius in bello interiret, factô animô, dixit: *Revertetur incolumis, sed domi æger obibit*, quod planè cōtigit. Eodemq; Annô 1639. de *Francisco, Biscia* genere, qui feriâ *Item.*

riâ ſecundâ Majoris Hebdomadæ cùm in quoddam caſtellum peregre abiret, diſertè prænuntiavit ampliùs minimè reverſurũ. Nec octiduum exceſſerat, cùm correptus apoplexiâ, feriâ ſecundâ poſt Dominicam Reſurrectionis, vivis exceſſit. Cùm verò *Bernardus Biſcia* ejus Nepos graviter ægrotaret, à *Bernardino Miſtonio* & *Clemente Langi*, Medicis depoſitus fuit; ſed *Laura* & ejus filia *Hortenſia* adoleſcentuli Mater, JOSEPHUM confeſtim accerſitum rogarunt, ut ægro ſanitatem cælitùs impetraret, qui illum cruce muniit, & Sancti Joannis Evangeliô recitatô valere dixit. Jamq́; deinde medicis admirantibus momentô omnis illius ægritudo abacta diſceſſerat. Idem *Bernardinus Biſcia* adoleſcens, altera vice circa Annum 1637. pariter decumbens, cùm puſtulis ſangvineis vulgô *petocchie*, & dolore acuto in hu-

Ægrum ſanat.

me-

mero sinistro laboraret, depositus à medicis, post preces à Servo Dei factas, ab ipso tactus, illico convaluit, & cibum, quẽ per undecem dies non sumpserat, vel sumptum non retinuerat, sumpsit, retinuit, & à febri sanatus est.

Oculum erutum restituit.

Colludebant Romæ in *Scholis Piis* ad S. Pantaleonem inter se duo discipuli ante exercitia scholastica, & alter atramentariô offendit alterum in oculo ita, ut pupilla eruta super genas penderet; accurrit Josephus, pupillam suo loco restituit, & Juvenis cum omnium admiratione, sine ullo applicato medicamento factus est sanus.

Sacerdos quidam *Drepanitanus*, Romæ cùm ageret, ut nescio quam in Patria Ecclesiasticam dignitatem consequeretur, monitus per literas fratrem suum graviter ægrum esse, magnoq; versari in vitæ discrimine; verebatur, ne fratrem suum,

& etiam facultates amitteret; quamobrem discedere jam Româ decreverat, sed JOSEPHUS jussit eum, bonô animô esset, nec, nisi re peractâ discederet; quibus ille confirmatus, Romæ hæsit, & obtinuit, quod petebat, fratremq; suum incolumem, in Patriam reversus, invenit.

Dominicus Emmanuël ab externo illo Visitatore facultatem poposcit quoddam oppidum adeūdi, sed cum à JOSEPHO etiam veniam postularet: *Vis? abibis*, (inquit) *& continuo in morbum incides, nec Romæ me reversus invenies, & nisi hic firmè consistas, ex Ordine egredieris.* Perrexit Dominicus, rediitq; post JOSEPHI obitum, Romäq; se Panormum cōferens, ibi Religiosum habitum exuit, anno 1641. In Tarrasano Oppido, Diœcesis Mutinensis *Franciscus Peregrini*, qui diutina ægritudine laboraverat, pertæsus mali, quod passus fuerat, & incommodi, quod domui

&

& Sodalibus inferebat, scripsit ad Josephum, quod si ita Deo videretur, atq; sic expediens foret, cum ejus venia, vitâ excedere peroptabat; cui, bonâ ejus dispositione lætatus Pater, bene precatus est, mortemq; vicinam prænuntiavit. Nec pollicitatio vana fuit, nam acceptis æger literis, Sacramenta Ecclesiæ à Patre Rectore petiit, & excessit.

Eugenia Pauli cujusdam tonsoris conjux, (qui Patribus Domûs S. Pantaleonis inserviebat) haud semel abortum passa, Josepho se commendavit, qui cùm illam cruce signasset: *Bonô sis* (inquit) *animô, non amplius fœtum ubiges, sed paries deinceps in lucem.* Multosq; Dei gratiâ concepit, & feliciter edidit. *Abortum avertit.*

Petro Poli Theatinum Ordinem & habitum postulanti palàm edixit: Dei voluntatem esse, ut sæculô non discederet, quòd si in Ordinem se reciperet, brevi habitum deberet exuere. *Iterum futura prædicit.*

Et

Et ecce tibi germanus frater ejus vitâ decedens, quinq; filios, filiasq; deseruit, quas ipse domi suæ excipere, & educare coact9 fuit.

Sacerdos quidam cùm sine facultate Josephi, sponte Romã se contulisset, antequam in Urbem pedem inferret, misit, qui ab eo veniam peteret; cui Josephus: *Veniam* (inquit) *concedo, sed certò sciat, antequam domum perveniat, pœnam inobedientiæ se daturum.* Quod ille audiens, in Urbem intravit, sed casu decidit ex jumento, quô vehebatur, & crus illi, miserandum in modũ, effractum est.

Tres Sacerdotes, Jubilæi Annô, 1645. Genuã Romam pergere optabant: Franciscus à Purificatione, Petrus à Nativitate, & Philippus Mutinensis quidam, quibus Josephus ita rescripsit: Veniant Patres Petrus & Philippus, nam P. Franciscus alterô Jubilæi Annô Romam

Item.

mam iter habere poterit. Cùm ergo illi Romam tunc profecti essent, brevì deinde vivere desiêre. Sed cùm Pater Franciscus qui quadragesimū annum tunc iniverat, diu illis supervixisset, in sequenti Jubilæo Romam iter arripiens, JOSEPHI prædictionem implevit. *Pater Josephus Mansius* è Congregatione Oratorii, & Vir doctus, & ingenii magni documentis illustris , cùm sedente ad clavum *Vrbano*, Parmenses Milites ditionē Ecclesiasticam occuparent, & haud leve damnum agris inferrent, ac trepidare permulti de belli exitu viderentur, JOSEPHO retulit, quòd nonnulli illud Abbatis Joachimi (ut vulgo creditur) vaticinium: *Draco vorabit opes* extimescebant. Quod ut JOSEPHUS audiit, vultu hilari respondit his verbis: *Non ille est quidem draco, de quo loquitur Joachimus, brevi omnia comperientur*; prædictionēq; comprobavit eventus, nam in-

tra paucos dies Pater Mansius sublatis dissidiis pacata omnia, & jam fædus initum inaudivit.

Pāphilio summū Pontificatū prædicit.

Cùm comitia post *Vrbani* exitum haberentur, vox erupit nescio quem Cardinalem, Pontificem electum fuisse, quod ut JOSEPHO relatum fuit, constanti animô dixit: *non is, sed Joānes Baptista Pamphilius erit Pontifex*; ut evenit. Quam pluribus itē Cardinalibus, aut aliis Illustribus Viris, dum lectô decumberent, & ægritudine laborarent, certo exitu mortem, aut recuperandā sanitatem prænuntiavit. Itemq; constat, quòd plurimis etiā absentibus per literas idem indicasset. Nec semel liberos exoptantibus, prolem promisit, quā susceperūt. Sed inter alia, quod adjiciam, majorem admirationē promeruit.

Matthæus Lubinski Polonus Josephum Romæ invisit.

Matthæus Łubinski Canonicus MetropolitanæEcclesiæ Gnesnēsis, Archidiaconus Vladislaviēsis in Pomerania, auditâJOSEPHI fa-

famâ, ut de facie illum noſce-
ret, Anno 1635. Menſe Majo
unà cum *Chriſtophoro Trzcinſki*
Poſnaniæ arcis Præfecto, Re-
gniq; Poloniæ Senato-
re, ſene octogenario Patavium
venit, & deinde Lauretũ; cũq;
Comes ille præcorporis imbe-
cillitate & ægritudine progredi
ulterius non valeret, Matthæ9
ejus Nomine Romam profectus,
ad JOSEPHUM ſe contulit, quem
humillimè veneratus, Senatoris
illius petitionẽ expoſuit. Quip-
pe cùm ad Catholicam fidem u-
nà cum ſuis pagis & ſubditis jã
pridem veniſſet, & inviſus eſſet
hæreticis, optabat, ut filius, qui
plures fæminas ex uxore ſuſce-
perat, marem gigneret, qui di-
tionis hæres futurus eſſet, & e-
os populos in fide Catholica cõ-
ſervaret; reſpondit JOSEPHUS ſe
peccatorem eſſe, nec tantæ vir-
tutis, ut eum poſſet impetrare à
DEO. Cognovit tamen Archidi-
aconus ex ipſo ſermone magnã

ejus virtutem ac sanctitatē, sentiebatq; se plurimùm ab ejus verbis intimè incendi; rediit postridie, nec tamen ejus humilitatem evicit; tertio verò cùm rediisset, rogassetq; unà cum Alberto Gralevio Sacerdote Polono; pollicitus est JOSEPHUS sese preces aliquot, & disciplinas ea pro re habiturū. Reversisq; illis, ut jusserat, JOSEPHUS post tertiā diem prandium exhibuit, & dixit hæc verba: *Nos pauperes, & peccatores oravimus, & divino Numini placuit Nostras audire preces, itaq; Dei Nomine, qui confidentem neminē derelinquit, securos vos reddo, non amplius Christophorum ægrū esse, nec Loureti, sed Bononiæ degere, qui priùs, quàm perveniat in Poloniam, certior fiet, quòd Filius ex Conjuge marem suscepit, si in DEI timore persistet, alterum, & tertium habiturus.* Abiit Matthæus, & incolumem Christophorum Bononiæ versantem invenit, qui cū eo profectus inde Venetias, ac

Pata-

Patavium, ut post exactam æstatem iter resumeret. Septembri mense, nuntium accepit, quòd AndreæFilii Uxor, Virilem sexū felicissimè jam pepererat, ediditq; progressu temporis, alterū & tertium filium.

Vladislaviensi Episcopo Archiepiscopatū Gnesnensem prædicit.

Similiter etiam eidemArchidiacono Matthæo Łubinski, Vladislaviensis Episcopi salutem cōmendanti, subjunxit: *Ne dubites, bene valet, octoginta annos excedet, & Antistes erit permagnus in Ecclesia DEI.* Fuit enim Archiepiscopus Gnesnensis. Nec alia omnia exitu caruisse, idem Archidiaconus, qui fuit ejus Vicarius Generalis, & viginti annos quatuor illi inservivit, juramētò Romæ, post Antistitis & JOSEPHI obitum, affirmavit. De suaCongregationeJOSEPHUS hæc olim disertè prænuntiavit: *O! quot laboribus, cladibus, & diris ærumnis exagitabitur! diu librâ discutietur, & hærebit in puncto, sed demum cessabunt adversa, & suam*

Vaticiniū Josephi de sua Religione.

Dominus, & Beatissima Virgo proteget Religionem, & augescet. Fūdabatur enim in illa promissione à Sanctissima Virgine sibi data; cum enim die quadam Ordinem suum plurimis procellis jactatum, eidem sanctissimæ Patronæ impensiùs commendasset, apparuit ei Clementissima Mater, eumq; his verbis affata est: *Confide Fili, non tua, sed mea Religio.* Multa præstita mira ab eo narrantur, quorum obiter ut nonnulla descripsimus, sic paucis alia adjiciemus.

Pater Ignatius Genuensis è scalis præceps corruerat, percussoq; occipite loqui desiit, sed interdum ejulabat, à medicis destitutus. JOSEPHUS inter orandū commotus animô, cum clamorem illum inaudivisset: *Quid est?* (inquit) rem à Laurentio ab Annūtiatione edoctus, suspirium duxit, sublatisq; ad cœlum oculis, hæsit orans; nec ampliùs auditus est æger ejulare, sed dis-

cus-

cusſô illico dolore, convaluit. Et poſt mediæ horæ ſpatiũ chirurgus adveniens, incolumem reperit, quẽ vivere deſperaverat. Idem Laurentius ab Annuntiatione Anno 1642. ardenti & lethali febre cùm æſtuaret, à Joanne Maria Caſtellano medico deſperatus, ad mortem bene cõparandam ſe diſponebat; cui tamen JOSEPHUS: *Non morieris* (inquit) *volo ut diutiùs vivas, & mihi, qui indigeo tuæ opis, inſervias*; quibus verbis ita confirmari & excitari ſe Laurentius ſenſit, ut illico convaleſcens, redeuntem medicum ad ſummam admirationem adduxerit.

Amplexu Patrem Caſtilium ſanat.

Pater Caſtilius, qui Tuſculanam domum adminiſtrabat, in febrim incidit, adeòq; invaluit morbus, ut de eo actum eſſe, Pauli Pontificis medicus, Hieronymus Palottus exiſtimaret. Patres miſsô ſtatim tabellariô Romam, JOSEPHUM admonuerunt, ut ſi videre cuperet ægrum, ſi-

ne

ne mora Tuſculum ſe conferret. Cùmq́; poſt biduũ non veniret, ferventioribus eum literis ſolicitârunt, ut properaret, quòd jã morti vicinus eſſet. Tunc nuntio Josephus ita reſpondit: *Dicite Patribus, quod me æger opperietur.* Et poſt aliud biduum profectus, ægrum cùm inveniſſet jam deſtitutum, loqui non valẽtem, arctè illum complexus: *Nõ morieris,* (inquit) *brevi convaleſces*; & poſt triduum ex lecto ſurrexit.

Item attactu ſanat alium. *Ferdinandus* Tuter cujuſdam Romani Præſulis OEconomus, graviter ægrotabat, quem Josephus cùm à Præſule rogatus inviſeret, medicos reperit de ejus febre & gravi ægritudine in ipſo cubiculo diſſerentes, ſed jucundè ipſe ad ægrum accedens, manum prehendens, pulſus nervorum attigit. Tunc converſus ad medicos: *Hic ex toto,* (inquit) *ut ſentio, febre caret.* Subriſêre illi, & ægro febrim ineſſe acutiſſi-

ſimam affirmabant. Rogatû tamen JOSEPHI, venarũ pulſus cùm iterum explorarent, verè illum vacare febre ex toto dixerunt.

Felix Plantanidius cùm per decem dies iſchuriâ laboraſſet, fruſtra quotidie auditis medicis, vana omnia remedia expertus. Cùm omnes dicerent, etiamſi hic morbus remitteret, non victurum; curru vectus contulit ſe ad JOSEPHUM, & genibus humi flexis opem popoſcit. Cui Vir DEI poſt adhibitas preces, dummodò mores ſuos emendaret, pollicitus eſt fore, ut ſanitatem conſequeretur. Spe conceptâ rediit domum, & poſt duos treſvé alios dies, quibus promiſerat ſe pro illo oraturum DEUM, Felix contra medicorum opinionem cõvaluit. Natus huic puer erat, Franciſcus Dominicus Philippus Plantanidius appellatus, qui luxato pede cùm claudicaret, nec remediis, ac medicorum arte rectis firmiſq; vesti-

giis incedere posset, missus fuit à Matre ad JOSEPHUM, qui puerum supra mensam stitit, oratôq; Numine super eum, manu pedes & crura tetigit, & deinde remisit domum, ubi puer incolumis firmiter stare, rectôq; gressu incedere visus fuit, ac si vitiô illô pes nunquam antea laborasset.

Energumenā sanat. *Felix* de Tolis, JOSEPHUM domum suam multis adeò precibꝰ invitavit, ut pollicitus ille fuerit postridie se venturum. Cūq; domi fercula præparari jussisset, famula, quæ nihil tale egerat, unquam, illico stupore quodam ac furore corripi visa est, quòd capitalissimus hostis domum vēturus esset. Stupuit Felix, & à dæmone fœminam obsessam esse intellexit; maneq; postridie adesse JOSEPHUM præsentiens, strepitus ac clamores adauxit. JOSEPHUS ut statim adfuit, & quòd domi contigisset, audivit, furentem famulam vocat, illiusq;

usq; (ut accessit) imponens capiti manum ait: *Abi, & exequere munus tuum*; Et silens confestim obtemperavit.

Pater Michàël à Sanctissimo Rosario longè ab Urbe Roma æger erat, & ægritudinis discrimen animadvertens, id Patri JOSEPHO per literas nunciandum curavit, accepitq; suo tempore responsionis Epistolam, in qua Vir DEI rescribebat, quòd jam ex sua ægritudine convalesceret, & sanctiorem ad vitam deinde instituendam, gravissimis eum monitis hortabatur. Idemq; testatus est Pater Michàël sibi in illa ægritudine contigisse, & Authographas ejus literas ostendebat. *Joannes Benedetti de Tripūtio*, moribundus ex intestinorum prolapsu, vulgo *rottura*, unde intestinorum convulsio, vulgo *Volvolo* ei evenerat, postquam applicuit parti infirmæ capillos JOSEPHI à quodam Religioso *Scholarum Piarum* oblatos, statim sanatus est.

Per literas sanat.

Capilli ejus sanant.

 Sed

Sed illud multos ingenti admiratione defixit. JOSEPHI Sodales Panormum venerant, ubi primo à Noſtratibus excepti fuêre, & cùm conſpicuo in loco ſedem fixiſſent An: 1640, menſe Septembri, *Dominus Franciſcus de Zarmeta* à monte nigro, peditum Dux in Regno Siciliæ, Romam petiturus, ab illius Domꝰ Moderatore Epiſtolam Viri Principis Vintimilli accepit, quam JOSEPHO Romæ ſuis manibus exhiberet, rerum momenta graviſſima continentem. Hanc acceptam repoſuit in Domini *Joannis Rosæ* Cardinalis Cherubini Theologi cubiculo ſuper menſam; ſed cùm reverſus ſub horam ſalutationis Angelicæ reſumeret Epiſtolam illam, ut Romam ſecum afferret, ejus inſcriptionē perlegit, quā antea non inſpexerat, advertit literas non datas eſſe ad JOSEPHUM, ſed ad VintimillūDynaſtam, Panormū, & cùm non ſine ſtupore reſignatæ fuiſsēt, reperta eſt JOSEPHI

reſponſio, ad quæ ille pridie poſtulaverat, quod & teſtabatur ſuâ manu *Joannes Roſa*, qui adfuit, & is, qui inſpexit.

Pater Auguſtinus à Sancto Carolo Scholarum Piarum, adhuc Clericus, SeptimâJulii 1648. noctu Savonæ in Liguria in ſuo cubiculo dormiẽs, voce JOSEPHI, Romæ tunc manẽtis, ter vocatus eſt, ut iret ad pulſandas cãpanas (ſuborta enim erat àéris tẽpeſtas magna) qui cùm ſe ad vocẽ tertiam proripit, & obedit, ab imminẽti ruina ſalvatus eſt. Nam cum quodam Religioſo Ordinis Laici Campanas dum pulſaret, fulgure arcis vicinæ S. Georgii armamẽtariũ percutiente, & tormẽtarium pulverẽ accendente, totum Collegium cũ magna Urbis parte corruit, ſub quo major pars Religioſorũ occubuit. Cùm verò ipſe Pater Auguſtinus fugã ipſo ruinæ tempore tentaret, tanquam funibus campanarum ligatus, movere ſe locô non potuit,

tuit, & illæſus permanſit, idq́; totum nominatus Pater adſcripſit precibus Josephi, cujus opē etiam tunc invocabat; ſolebatq́; ſe illius Orationibus ſæpe per literas cōmendare. Multis prætereа morbis ac febribus imperavit, ita ut ex ægris corporibus momento diſcederent.

Cum Josephus ab intima quadā ægritudine perdoleret, primâ mēſis Auguſti in honorem Sancti Petri ad Vincula Sacrum fecit; tum cubiculi clave Rectori traditâ: *Pater* (inquit) *quid quid habeo in hac cellula, Veſtrum eſt, neq́; enim meum aliquid duxi unquam.* In ea verò, præter lectum, menſam, & ſcamnum, candelabrū, paucos libellos, & atramentarium, pretioſa alia ſupellectilia non erant, quàm aliquot ſudariola, duæ cratellæ fictiles, & quædā lignea cochlearia. Cùm deinde lectô ægrotus decubuiſſet, & noctem ex dolorum cruciatu duxiſſet inſomnem, poſtri-

Infirmatur.

die

die manè ſurrexit, nec præ imbecillitate ſacris operari potuit. Pēsô igitur Divini Officii perſolutô, Miſſæ Sacrificio interfuit, & cœleſti dape refectus eſt. Evocati verò medici Joannes Maria Caſtellanus, & Petrus Peregrini, nullum præter ſenium in eo morbum arbitrabantur, nec ad octavum uſq́; diem febrim obſervarunt. Ipſe tamen acutis doloribus intimè divexatus, & ſeſe febrim habere, & eſſe proximum morti affirmavit. Cum ſeſe verò paulatim contra Medicorum opinionem febris expanderet, toto uri corpore videbatur, ac dolore laterali correptus, nec cibum, nec ſomnum capere poterat. Religioſo, qui illum ſolabatur, ita reſpondit: *Ego plurimùm gaudeo, quòd in me Dei voluntas fiat, mæreoq́; tantùm, quòd dolores hi non permittant, ut illos, quos opto actus, edam, amoris & cōformitatis in Deum.* Nec tamen ſuas ipſe quotidianas preces,

præ-

præſertim in Congregatione fieri ſolitas omittebat. Communionis Sacramentum pluries obiit, nempe Deo ac Deiparæ ſe commendans, ut quæ tot flagitioſis ac perditis hominibus à Filio ſuo veniam impetraret, ſibi omnium nequiſſimo eandem indulgentiã exoraret. Cunctos, qui aderant, humillimè precabatur, ut commiſſis à ſe defectibus & erratis ignoſcerent. Et ſi à quopiam aliquid mali accepiſſet, libentiſſimô id animô cõdonabat. Omneſq; præſentes & abſentes amplectebatur, eiſq; bene precari ſolitus erat, ut Deo ofiderent, quem vehementer curabat, ut cunctos ſuâ gratiâ cumularet. Et cuidam eum familiariter alloquenti: *Nihil eſt* (inquit) *cur paveam, cùm Domina mea Sancta Maria de Montibus* (quam ſingulis ipſe inviſebat Sabbathis) *admonuerit me, ut eâ Patronâ nihil penitus extimeſcam.*

Prænuntiato ſuæ mortis die,

pur-

purgando leniendoq; pectori phlegmate & pituitâ laboranti, remedium præstantissimũ adhibebat, sed à nonnemine audiẽs illud ab Angliæ Rege Carolo inventum esse, manu statim à se rejecit, jussitq; Patri Joanni Carolo à Sancta Barbara, qui pretioso ipsum in vase præparaverat, ut dejiceret ex fenestra, quod magno cum ardore animi iterum atq; iterum imperavit. Pater Joannes morem gerens, illud cum vase extemplò projecit, subjunxitq; Josephus: *Nolo, nolo à Rege hæretico remedium adinventum.* Nec ulliùs precibus ac svasionibus acquievit, ut id pectori saluberrimum ampliùs accipere vellet. Mirum tamen fuit, quòd remediô illô recusatô ac projectô, non ampliùs phlegmate, ut anteà laboravit.

Recusat ab hæretico medicinam.

Interim auditâ ægritudinis ejus famâ, quàm plures accurrerunt viri Nobiles Ecclesiastici ac sæcularis Ordinis, qui Jose-

PHI orationem poſcebant; inter quos unus adfuit, qui ad illum depingendum venerat, hic in genua provolutus, ut ſibi precaretur bene, optabat, quod tamen negavit JOSEPHUS, etiamſi circumſtantes Patres ſtudioſiſſimè efflagitarent. Nam DEI ſervus oculos claudere, vel vultum ab eo avertere videbatur; quod apud ſe ille perpendens, ac delicti conſcientiâ ſtimulatus, in angulum ſe collegit, & dolens ac pœnitens, actum contritionis exprompſit, ſtatimq; bene illi precatus eſt JOSEPHUS hilari vultu. Tunc lætatus effusè pictor, & è cubiculo egreſſus, non ſine omnium admiratione narravit ſeſe JOSEPHI virtutem abundè expertũ eſſe, quippe cùm JOSEPHUM minimè latere cognovit, & contritionis actum, quem ipſe edidit, & quod crimen antea quadam cum muliercula perpetraverat. Ipſe clauſis interim oculis, Divinis commentatio-

A peccatore oculos avertit.

tationibus ac precibus utebatur, ac sæpenumero sertum suum precarium deposcebat, ut Beatissimæ Virginis Rosarium persolvere posset, cupiebatq; ad cubilis caput, vel parieti appensum sertum coronarium illud semper exstare, veluti suæ Dominæ tesseram. Sed ut undiq; seges & occasio patientiæ esset, ad ministeriũ valetudinarij habebat senem subsurdum, imò audiendi sensu penè carentem, qui semper aliud offerebat, quàm poposcerat æger, nec tamen Josephus tædiô vel molestiâ affectus commutari socium sibi postulavit. Et quanquam interdum vellet neminem in cubiculo habere, id tamen haud facile illi concedi poterat, cùm omnis cõditionis homines ad eum ingredi flagitarent. Ingravescente morbo, SS. Corporis Christi viaticum petijt, quod eâ cum animi pietate & devotione suscepit, ut uberes lachrymas ab omniũ o-

culis elicuerit. Et uni quidē, qui prope aderat, imperavit, ut ſuo Nomine ad Chriſti Domini ſectandam humilitatem omnes ſuos adhortaretur, ita ſubjungens: *ſi verè humiles erimus, exaltabimur.* Sed ille effuſus in lachrymas: *Páter*, inquit, *in Cœlum ibis, uti ſperamus, nec noſtras calamitates ignoras*; quibus auditis vehementiſſimum ſuſpirium duxit, ita reſpondens: *ſi ego propter Dei miſericordiam, & Beatiſſimæ Virginis interceſſionem* (ut ſpero) *in Paradiſi Beatitudinē admittar, veſtrûm non obliviſcar. Inculcate omnibus, ut in honorem Mátris Sanctiſſimæ, quotidie Roſarium devotè perſolvāt. Quin ne quid adverſum extimeſcatis, nam brevì (ut videbitis) omnia componentur.*

Rogavit Dominus *Coſmus Vannucius* Pontificiæ ſtipis erogans, Præſul ſanè integerrimus, & cui Josephus percarus erat, ut quoniam multa ejus animum quotidie moleſtia affi-

cie-

ciebat, si ita Deo videretur, & animæ proficuum foret, sibi vitæ stamen Numen præcideret. Annuit Dei Servus, & suam apud Deum intercessionem, ac orationem spopondit; valuitq; adeò ejus Oratio, ut intra octiduum post Josephi obitum, Vannucius ereptus malis omnibus, è vita migraverit.

Deinde Vir Dei petijt à Patre Rectore, ut mitteret, qui à Summo Pontifice sibi decedenti salutarem expiationem & indulgentiam ritu Catholico precaretur, & qui Vaticana etiam in Basilica ad Sancti Petri statuam, ejus nomine fidei professionem obiret: quod sine cunctatione præstitum fuit. Deinde Sacrô oleô inungi petijt, quod ægre Medici omnino permiserunt, rati periculum mortis nullum inesse. Discedenti vero Petro Peregrino, ac pollicenti manè sese reversurum, Josephus impensè gratias egit, & illi precatus:

Fac (inquit) *ut cras mei corporis adſis inviſioni*. Abnuit Medicus, pollicitus fore, ut ex ea ægritudine convaleſceret, viveretq; diutius. Interim *Hortenſia Biſcìa* triginta ipſos dies ægrotârat graviter, cui JOSEPHUS Sancti Pantaleonis lypſana & aquā miſit, eâq; hauſtâ ſtatim illa convaluit.

Lectô etiam decumbebat *Sebaſtianus Perviſanus*, qui quòd ex alto prolapſus fuerat, moveri locô non poterat, acutiſq; doloribus totô corpore afflictabatur. Audiens autem, quod JOSEPHUS animam ageret, veſtimēta popoſcit, & tametſi acriter dolores obſtarent, incenſus ejus videndi cupidine, ſeſe induit adjutus à ſocijs; nec ſine magno totiûs corporis cruciatu ad JOSEPHUM adductꝰ, petijt ab ipſo, ut ſibi genu cruce notaret, quod ex gravi colliſione acriorem illi dolorem ingerebat. Annuit Pater, illiq; aliorum brachijs ſublatô

genu

genu ſignavit, eôdem temporis momentô, ab eo dolor & omnis cruciatus abſceſſit; ſtatimq́; Sebaſtian9 ægritudine liber, ſuiſq́ué firm9 pedib9 hærens, lætus cubiculô inambulavit, arreptâq́; ſcutellâ, ubi aliquid juris erat, quod JOSEPHO anteà datũ fuerat, ſine cujuſq́; ope, domum perrexit. Mox primâ noctis, DEI Viro juſculum attulerunt, *& tametſi nequaquam opus ſit*, (inquit) *Medicis obtemperemus*. Deinde poſt aliquod preces habitas, & Chriſti Domini Paſſionem perlectam, rogavit æger, ut qui aderant, Divi Bartholomæi Officium recitarent poſtridiè perſolvendũ, idemq́; ipſe dicerè conabatur, ut poterat. Narravitq́; *Pater Coſmas à JESV MARIA*, qui ejus acta conſcripſit, ſeſe in ejus mortis agone per viſum obieciſſe JOSEPHO, lectulo circumfuſos, qui ea in Congregatione deceſſerant, quorum alios ſtantes, flectẽtes alios inſpexit, nec deeſſe, niſi

Agonizanti Ioſepho mortui alij adſtant, alij flectunt.

ſi

si unum animadvertit, qui fortasse tantoperè illum exagitaverat; jamq; intellexit præter illũ unum, vitam omnes adeptos. Quartâ noctis horâ elapsä, pulli succum, ut reficeretur, oblatum sumere recusavit; sed rogatus, ut in honorem Vulnerum JESU Christi sorberet quinq; cochlearia, fecit sic. Postmodum Patres quintâ noctis horâ somnum cæpêre; legebatq; unus iterum Christi Domini Passionem, cui non nemo in aurẽ insusurravit, ut subsideret, nè tædium illi pareret, aut soporem impediret. Elatâq; ille voce statim respondit: *sinite, legere ut pergat, quod & quietem mihi, & lætitiam parit.* Tunc propius adrepentem mortis agonem, tranquillô animo ac ore subijt; statimq; ad tintinnabuli pulsum omnes celeribus gressibus accurrerunt. Cum Pater Rector commendationem animæ consvetis Ecclesiæ verbis adoriretur, omnes lachrymarum im-

imbre perfusi nixis genibus lectum circumcingebant. Tunc æger, qui easdem pronuntiabat preces, ut poterat, repentè dexteram, totumq; brachium extulit, ut bene precari omnibus videretur, & immortuis demum vocib⁹ ter JESUM ingeminans, purissimam animam exhalavit, post quintam noctis horam elapsam, ante diem 25. Augusti, quô Sancti Bartholomæi Festum celebratur; Annô post Christum 1648. ætatis suæ 92. *Mors JOSEPHI.*

Postquam exspiravit, visum est cadaver pulchro & hilari vultu, ac vivo quasi colore perfusum, carne palpabili, totum mundum, ac nulla in parte aliquâ labeculâ fœdum, niveôq; etiam candore respersum, quam munditiem vel etiam in interula, & lecti linteis observârunt. Cum verò de more corpus elueretur, visus est partes quas naturalis abscondit pudor, nunc lævâ, nunc dextrâ manu con- *Corpus ejus suavissimũ.*

tegere, quod omnibus ſtuporem incuſſit, ejuſq; animi candorẽ, & Virginalem innocentiam indicabat. Sed Superioris juſſu exenterandi causâ, mane diſſectum eſt; ac ſcriptô teſtatur Pater Coſmas, quod nonnulla lintea roſas olebant, ipſum verò corpus lilium.

Lintea ejus, roſas ſpirant.

Filij tamen tanto Parente orbati, ac calamitate illâ depreſſi, non ſe mærori dedêre (ut antè putaverant) quinimo ſtare animis, ac inſolita quædam omnes ſecuritas ſpiritûs, ac lætitia inceſſit, quam nullo unquam modo ſperaverant. Addiditq; ille in ſuo Commentario, eâ nocte prodigium accidiſſe, quod nunc omittimus, quoad clarius, certiuſq; comperiatur.

Ingens hominum concurſus, ad funus Joſephi.

Cùm verò cadaver ob celebrãdas exequias ad Sacram ædem delatum eſſet, nedum quàm plurimi Viri Nobiles, Præſules, Fæminæ Principes, & Regum apud ſummum Pontificem Oratores, ſed

ſed & tanta cujusvis hominum Ordinis multitudo confluxit, ut cancellos & ſcamna perfregerint, quibus illud muniebatur. Nec poterant obſtare cuſtodes, quin multi veſtes ſcinderent, avellerent pilos, aut aliquid ex ungve, vel carne ſecarent. Cùm verò *Pater Petrus Caravita* è *Societate JESV*, Vir virtutum famâ conſpicuus, pedem in Eccleſiam, ob populi frequentiam inferre non poſſet, lapideum ſedile conſcendit, quod ad ædium veſtibulum exſtabat, & Divino ductus ſpiritu, confluentibus ac perſtantibus turmatim hominibus, JOSEPHI acta deprædicavit, quæ mirificè populum inflammârunt.

Petrus Caravita Societatis JESV virtutes Ioſephi deprædicat.

Præterea puer quadrimus, qui fortè aderat, altâ voce clamare cæpit: *ecce Sanctum! ecce Sanctum!* quod adeò confluentium pietatem adauxit, ut JOSEPHI laudibus omnis Urbs perſo-

Puer quadrimus exclamat Sanctum.

ſonaret. Adſuêre quàm plurimi cæci & claudi, & inter eos humi repens, omnibus membris captus, qui ſanitatem visûs, greſsûs, & totius corporis planè vigorem, ac firmitatem recuperârunt. *Salvator de Morino*, ex quadam humoris fluxione, à multo tempore ita attractus & impeditus erat, ut cùm deambulare non poſſet, per terram ſerperet, & ſe ſe volutaret. Arrepſit igitur, & ſe advolutavit ad illum locum, in quo cadaver JOSEPHI erat repoſitum, ibiq; rogavit adſtantes, ut ſe attollerent ad tangendas exuvias Servi Dei; quas cùm tetigiſſet, ſanatus eſt ita, ut liberè deambularet, ſe ſeq́, domum, plaudens, & laudans Deum, cum omnium admiratione reciperet.

Ad corpus ejus fiunt varia miracula.

Quædam Catharina, Mulier Anconitana, olim Anaſtaſij Joannini Uxor, volebat omnino approximare, ut oscularetur JOSEPHI Corpus, ſed plurimâ populi

puli multitudine huc illuc rapiebatur, fuitq; ei discissũ gremiale in duas partes, ita, ut pars ab altera divisa, eidem Catharinæ restituta fuerit. Cùm igitur frusta simul involvisset, deosculatis manib⁹ ac pedib Servi Dei, Domũ reversa; vidit totũ gremiale reparatum mirabiliter, quod postea Patribus redditũ, ad varios sanãdos ægros adhibebatur.

Discissum gremiale redintegratur.

Alexander Dominicus Commini, puer annorum tredecem, à quadriennio brachium adeò infirmum habebat, ut de resecando pluries cogitaretur, cùm quovis adhibito conatu & medicamento, neq; extendere, neq; retrahere illud posset. Auditâ famâ miraculorum in funere Josephi, adductus à Patre ad ejus cadaver, cùm illud brachio tetigisset, acceptoq; frusto Vestis Servi Dei cùm domum rediret, per viam advertit infirmus, se jam brachij sanitatem recepisse, ita, ut illud extende-

Brachiũ emortuum sanatur.

ret, & contraheret liberè, admirantibus medicis.

Similiter *Constantia Pesuli*, Vidua relicta Marcelli de Rosis, ex fluxione quadam in dextro brachio ita affligebatur dolore, ut motu ejusdem brachij per triennĩu penitus careret, nullô humanô medicamento juvante. At postquam tetigit cadaver Servi Dei, sanitatem recepit.

Morbus comitialis fugatur.

Cœlicia Burgi morbô comitiali diuturnô afflicta, cum remedium non inveniret, discessit Romam ad famam Miraculorũ Servi Dei, ut ejus cadaver posset tangere, ast per viam eodem modo correpta est. Cum verò redijsset ad sensus, viam est prosecuta; & postquam tetigisset cadaver Josephi, ejusq; ad Deum Orationem invocasset, nunquam amplius passa fuit talem morbum.

Lingva impedita expeditè loquitur.

Hyacinthus Tinnaza ab Itro Sacerdos tantum lingvæ impedimentum patiebatur, ut Missæ

Sacri-

Sacrificium celebrare vix posset. Cùmq; se Servo Dei commendaret penes corp⁹ejus expositũ, ab omni posthac impedimento libe ratus est, ita, ut clarè omnia, & mira cũ facilitate pronuntiaret.

Ægrotabat acri dolore capitis quædam Mulier Nobilis, cùmq; super caput apposuisset illud gremiale, quod ad funus JOSEPHI discissum; miraculosè iterum (ut suprà diximus) conjunctum fuerat, invocatô Divinô auxiliô per Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, illico sanata est. *Dolor capitis sedatur.*

Balthasar Anconitanus in hospitali Sancti Spiritûs in Saxia, à medicis desperatus, decumbebat ad mortem; Uxor ipsius Theodora, sciens, quòd Catharina Vidua haberet gremiale istud, per quod ex intercessione Servi Dei multa mira erant patrata, rogavit eam, ut secum ad hospitale pergeret, & gremiale afferret. Acceptô igitur gremiali *Agonizans redit ad vitam.*

li veniunt ad hoſpitale, ubi Uxor Virum vocare, alloqui, movere, ſed fruſtrà; deſtitutus enim erat ſenſibus, & poſitus (ut Miniſtri adſtantes affirmabant) in agonia. Aſſumpſit ergo tunc Uxor gremiale illud, & poſuit ſupra faciem infirmi, qui illico clamare cæpit: *O JESVS! quid mihi feciſtis? qualis eſt iſte ſplendor?* exindeq; convaleſcere incipiens, biduô pòſt, exivit ab hoſpitali ſanus.

Byretô Joſephi viſus redintegratur.

Dominica filia *Valerij Rotelij* puella, adeò infirmos habebat oculos, ut nullatenus inſpicere lumen poſſet; quinimo in uno oculorum excreverat quædam macula, vulgo *perla*, taleq; impedimentum visûs, reputabatur à medico fore perpetuùm, & incurabile. Tacta circa oculos, à Parentibus auxilium Servi Dei invocantibus, byretô ejus, ſtatim cæpit minori incommodo reſpicere lumen, maculaq; brevì totaliter evanuit.

Jllu-

Jllustrissima Domina *Laura de Cajetanis*, febri malignâ cum sanguineis pustulis, vulgo *petocchie* & vomitu lethali decumbebat ita, ut extremâ unctione, & assistentiâ sacerdotis, judiciô omnium opus fuerit; sed appositô juxta petitionem ipsius ad pectus parvô byretô JOSEPHI, eidem infirmæ à Patribus allatô, statim cessavit vomitus, & dolores, febris evanuit, asserentibus medicis id non potuisse fieri naturaliter, sed miraculosè.

Eôdem: vomitus, febris, pustulæ lethales pelluntur.

Jllustrissima Domina *Ortensia Biscia*, colicis doloribus extremè affligebatur, ita, ut singulis momentis animam visa agere; cumq; fuisset recordata habere apud se frustũ panni linei tincti in sangvine JOSEPHI, cùm ejus cadaver exenteraretur, curavit illud sibi afferri, illôq; super thorace positô, sanitatem recepit. Affuêre statim medici, sed illorum curâ ampliûs opus non habebat.

Pannô in sanguine Josephi tinctô colici dolores fugantur.

Petrus à Sanctissima Trinitate Religionis Scholarum Piarum, Theate, dum gladiolô, qui adhibetur ad aptandos calamos uteretur, casu manum graviter transfixit. Accurrit cum eodem gladiolo in media manu infixo ad Superiorem, qui tunc circa quandam effigiem capitis JOSEPHI gypseam detinebatur; extraxit Superior gladiolum de manu patientis, manumq; illius vulneratam posuit super caput illud gypseum; brevi morâ interjectâ, vulneratus dolore victus, projecit se in lectum, commendans se JOSEPHO Fundatori, & tantisper indormiit. Cùm verò dormiret, apparuit ei JOSEPHUS, qui manu suâ manum patientis vulneratam ita constrinxit, ut infirmus cum magno clamore fuerit experrectus. At mirum est, dum manum inspicit, videt sanatam, solamq; sine ullo ampliùs dolore cicatricem relictam.

Joseph⁹ manum vulneratam sanat.

Mul-

Multa mira alia narrantur, ſed né brevitati narrationis offiiciam, alijs de induſtria tractanda relinquo. Sed & quidquid illi uſui erat, ſtatim poſt ejus mortem raptum âtq; diſperſum fuit; ad longè diſſitas Regiones aliquid etiam aſportatum. Veſtem illi undiq; diſciſſam ac ſectam reſarcire, ac reficere oportuit quater. Alii rapuêre, ſandalia, & coronarium ejus ſertum Sabaudiæ Oratoris conjux accepit. Quàm plurimi etiam, roſaria ejus ori ac manibus applicabant. Nec *Joannes Baptiſta Palotta*, Cardinalis Palottæ Patruelis prætermittendᵒ, qui clam primus omnium pileolum moribundo detraxit, quô à pluribus infirmis pertinacis ægritudinis malum, expulſum fuit. Sed neq; illud, quod ſequitur, prætermittendum cenſeo, in Virginis Sanctiſſimæ honorem. *Anna de pace*, cujus Cōjugem ac filium vivens JOSEPHUS

Res uſuales Joſephi diripiuntur ab omni ſtatu hominum.

PHUS, ſanaverat, cùm ægritudine oppreſſa, etiam à Medicis depoſita eſſet, ita, ut nec manum movere poſſet, nec quidquam cernere, & audire, ſextâ noctis horâ arripi ſibi brachium ſenſit, & langvore excuſſo, JOSEPHUM vidit lævâ ſe excitãtem, dextrâq; indicantem manu, Conceptæ Virginis Deiparæ effigiem, quæ eodem in cubiculo exſtabat, & ad ſe ſic dicentem audivit. *Heus! è cubili ſurge & Sanctiſſimam Dei Mátrem intuere, quæ te mori ex hac ægritudine non permittit.* Et cùm illa DIvæ Virginis imaginem inſpexiſſet, ab ea audivit hæc verba: *Ignoſco tibi, ſed tamen totius Vitæ anteactæ confeſſionem inſtituas.* Eiq; bene precata, ſanitatem reſtituit.

Apparet infirmæ.

Demum Corpus plumbeæ incluſum arcæ, & à Viris gravibus, quorum intererat, obſignatum, in Sancti Pantaleonis Templo ad dextrum latus aræ maxi-

ximæ, prope lapideos gradus humatum fuit. Cùmq; aliquando *Pater Odoricus Raynaldus*, Annalium Baronii insignis continuator, fuisset requisitus à Patribus *Scholarum Piarum* de aliqua minìma parte reliquiarum Sancti *Philippi Nerÿ*, perhumaniter eis dono dedit, sed addidit: *suô judiciô, ac sententiâ, frustra ab externis Sanctorum reliquias eos requirere, dum penes se haberent tam pretiosum thesaurum; Corpus scilicet Venerabilis eorum Fundatoris; quod si suum esset de ejusdem Virtutibus, & Sanctitate decernere, neq; ad unum diem distulisset ejus Nomen in Sacris dipticis referre.*

Ex Processu Canonizationis.

Collegit ejus mira, & Epistolas *Pater Joannes Carolus à S. Barbara*, qui illi percarus, multum pro Dei Viri causa, & restaurãdo Ordine desudavit. Summatim acta ejus descripsit *Pater Petrus ab Anuntiatione*. Sed in lucem virtutes aliquot ediderunt: *Pater Hyppolitus Maratius ex Cleri-*

ricis Regularibus Matris Dei in Fundatoribus Marianis; *Pater Hyacinthus à S. Vincentio Carmelita Discalceatus* in Oration: de Fundatoribus; *Pater Figlias ex Ordine Redemptionis* Captivorum, post *Episcopus Aquilanus* in laudatione Calari habita Annô 1648. *Pater Camill⁹ à S. Hieronymo Scholarum Piarum* Præpositus Generalis in libro Florum excusso Romæ 1667. *Pater Franciscus à JESV*, in elogijs de ejus Vita Romæ impressis 1664. *Abbas Justinianus* in tertio Epistolarum, edito Romæ. *Pater Alphonsus à S. Joseph* in Vita, quam Castellano idiomate editam *Carolo II. Regi Hispaniarum* inscripsit. Et *Pater Cosmas à JESV MARIA*, qui omnia ejus acta collegit, sed nondum tamen in lucem edidit.

Hic olim in tyrocinio una cũ alijs proficisci Romam optabat, JOSEPHUM ut de facie nosceret, cujus virtutum famam à pluribus audiebat; sed Panormi deten-

tentus, post solennem Professionem emissam, suam illi per literas voluntatem aperuit; cui Dei Servus ita rescripsit: *Tempus erit, quô veluti alter Abraham destinatus in gentem magnam, è Patria egredieris.* Et ecce tibi: progressu temporis, Romam profectus ad Ordinis Comitia, renuntiatus fuit Præpositus Generalis, & tam Principum, & aliquot S. R. E. Cardinalium favore protectus, quàm à Patrona Virgine Deipara adjutus, adnitente *Patre Joanne Carolo à S. Barbara* Procuratore, qui rem sedulo ac strenuè procurabat, à *Beatissimo Papa Clemente IX.* sui Ordinis redintegrationem, & Privilegiorum omnium confirmationem obtinuit Annô Domini 1669. Mense Octobri.

Sed o Venerabilis Serve Dei, cui à puero ex animo deservisti, quem ardenter amasti semper, cujus studiosissimè gloriam procurasti, ex toto corde gaudeo, & gratulor Tibi, quòd

tan-

tantum cum animi tui fervore, in Dei & Deiparæ obsequium semper incubueris, quod summam perfectionem adeptus, Vitam tuam in animarum procuratione peractam, & sanè cunctis virtutibus exornatam, gravibus convitijs, contumelijs, ac calumnijs, mirabili semper animi æqualitate perlatis, usq; ad felicissimum exitum cum laude, & admiratione omnium illustraveris. Tua passim Oratores & Scriptores acta ubiq; locorum prædicant, ac promulgant; & qui Divinam non nisi gloriam exoptant, & quærunt, ac tutum Sanctitatis iter arripere, per tua in posterum vestigia felicissimè gradiantur. Nec dubito brevi futurum esse, ut cùm ritè acta tua, Sancta Sedes Apostolica recognoverit, Christiana in Republica meritissimè celebreris; ut effigiem tuam in aris, & templis inspiciamus, populorum accurentium vota & preces exaudientem. O si possem insignem tuam humilitatem, amorem in DEVM, animi constantiam adipisci! sed seniô, nec undâ

ægri-

ægritudine iam confectô, impetra mihi saltem ut mortẽ obeã, qualem opto, Christiano Religiosoq; homine dignã; & Sanctissimam Dei Matrem, Tui Ordinis Patronã exora, ut suo patrocinio me foveat, & in agone mortis mihi assistat, ut unà cum Filio Suo dulcissimo IESV suscipere ipsa dignetur animam meam.

Interim verò oraculũ planè illud ubiq; locorum ac gentium impleatur, quô celeberrimus quidam Anachoreta Joannis Abbatis coævus, in M. S. opere de Exercitibus Militantis Ecclesiæ, Te, & Tuos (uti ego arbitror) dìsertè prædixit ; & antequaã in lucẽ exorereris, egregiè prænuntiavit, his verbis : Congregabuntur Servi Dei dicentes : Messis Dei multa, operarij verò pauci. Venite, mittamus & nos falcem in Messem ejus. Imitabuntur in charitate Sanctos, & in puritate electos Dei; frequens lingva eorum ad populos, & reducere conabuntur eos in semitas justitiæ. Docebunt pueros præcepta legis, & Juvenes Vias Domini

Cor eorum ſemper ad Dominum, & lingva eorum in auxilium gregis ejus. Congregabuntur in multis Regnis, ubi invocatur Nomen Dei, & accepti erunt populis in operibus ſuis.

Auctoris admonitio.

LEctor adverte, in hac JOSEPHI Vita, nonnulla me attingere, quæ ſanctitatem ipſi videantur appingere, adſcribereq;. Perſtringo nonnunquam ab eo geſta, quæ, cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt, ut præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, revelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia ejuſmodi; beneficia item in miſeros mortales, ejus interceſſione collata Divinitus; demum nonnullis ſanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis Lectoribus propono, ut nolim ab eis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atq; approbata, ſed tanquam quæ à ſo-

ſola Authorum fide pondus accipiant, atq; adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Deinde Apoſtolicum Sacræ Congregationis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decretum Annô 1625 editum, & Annô 1634. confirmatum, integre atq; inviolatè, juxta declarationem ejuſdem Decreti, *à Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano Papa VIII.* Annô 1631. factum, ſervari à me omnes intelligant, meq; nolle, cultum aut venerationem aliquam per has meas narrationes Illi arrogare, vel famam, aut opinionem Sanctitatis inducere, ullumq; gradum facere ad futuram aliquando illius Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſeclusâ hâc meâ lucubratione obtinerent, non obſtante quocunq; longiſſimi temporis curſu. Profiteorq; me

quam obedientissimum Sacræ Sedis Apostolicæ filium, in omni mea sententia & scriptione, à Sancta Matre Ecclesia velle dirigi.

Ego D. Franciscus Maria Maggius, Clericus Regularis.